



CONGREGATIO GENERALIS CXVII

7 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

In hac congregatione generali 117, quam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis, prosequetur disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*, et de eo verbum facere postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; et, deinde, nomine plurium Patrum, exc.mi DD. Deodatus Yougbare, ep. Kupelaënsis in Alta Volta; Bernardinus Gantin, arch. Cotonuensis in Dahomey; Nicolaus Geise, ep. Bogorensis in Indonesia; Daniel Lamont, ep. Umtaliensis in Rhodesia Meridionali; Cyprianus Kihangire, ep. aux. Guluensis in Uganda; Petrus Massa, ep. Naniamensis in Sinis; Petrus Carretto, ep. vic. ap. Rajaburiensis in Thailandia; Petrus Moors, ep. Ruremondensis in Neerlandia; Ioannes B. Velasco, ep. Sciamenensis in Sinis; Iucundus Grotti, prael. null. Acrensis et Puruensis in Brasilia; Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis in Rwanda; Vido Maria Riobé, ep. Aurelianensis in Gallia; Iacobus Moynagh, ep. Calabarensis in Nigeria; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis; Laurentius Picachy, ep. Jamshedpurensis in India; Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus; Secundus García de Sierra, arch. Burgensis in Hispania; Elias Zoghby, arch. vic. patr. Melchitarum in Aegypto; Ioannes Kodwo Amissah, arch. Litoris Capitis in Ghana.

Communico vobis, Patres, exitus suffragationum reliquarum heri peractarum.

Suffragatio XIX:

Super Patrum	2.065
dederunt votum <i>placet</i>	2.053
<i>non placet</i>	11
Suffragium nullum	1

*Suffragatio XX:*

Praesentes votantes	2.074
Dederunt suffragium <i>placet</i>	2.049
<i>non placet</i>	15
<i>placet iuxta modum</i> (quae sunt vota nulla)	10

Ergo uterque textus est probatus a congregatione generali.

Denique, *suffragatio super integro cap. III* dedit hunc exitum:

Suffragium tulerunt	2.070
Ex his dixerunt <i>placet</i>	1.582
<i>non placet</i>	15
<i>placet iuxta modum: reli-</i> <i>qui, i. e.</i>	469

Et non desunt vota nulla, quae sunt 4

Ergo caput est probatum a congregatione generali; attamen, ut moris est, modi examinabuntur.

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS

Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Fratres, carissimi adstantes omnes,

Res missionaria, secundum meum iudicium humile, est tam essentialis Ecclesiae et tanti momenti, tam absolute quam in hodiernis adiunctis, ut paucis propositionibus absolvi non possit, sed oporteat ut proprium et integrum schema perficiatur, theologicum et practicum, et ut hoc schema proponatur quartae huius sacri Concilii sessioni. Hoc est etiam fervens desiderium multorum episcoporum Africae et ceterarum missionum, et superiorum generalium. Rogo humiliter ut hoc desiderium impleatur.

Ad singula:

1. Ex theologia missionali: in primis propositionibus, haec theologia debet esse multo profundior quam nunc. Sed ex his verbis expungatur usus analogicus verbi « missio » pro terris olim christianis, nunc autem magna ex parte dechristianizatis, sed appareat conceptus missio-



nis in suo fulgore originali ut significet evangelizationem Iesu Christi Domini Nostri Salvatoris in iis locis ubi hoc Sanctissimum et Dulcissimum Nomen Iesu nondum praedicatum est. Et, enucleantur magis verba Apostoli Sancti Pauli: « Vae mihi est si non evangelizavero », sicut heri clarissime fecit em.mus cardinalis Bea.

2. Adhaereo propositioni quartae, quae postulat ut Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, sub Praefecto suo, aggregetur quidam senatus consistens ex quibusdam excellentibus episcopis missionum et antiquae christianitatis et ex optimis peritis in re missionali tam practicis, tam theoreticis. Qui senatus studeat et proponat Summo Pontifici modella accommodationis et adaptationis pro singulis culturis, et evolvat quamdam strategiam missionariam inquirendo ubi sint hic et nunc maiores possibilitates vel necessitudines evangelizationis et quibus mediis, quibus personis, quibus adiumentis materialibus in his locis missio debeat adiuvari; ita ut Sacra Congregatio de Propaganda Fide magis transeat in statum dynamicum, et sit vere Consilium generale (germanice « Generalstab ») Summo Pontifici pro evangelizatione mundi.

3. Adhaereo etiam propositioni quintae, in qua postulatur ut tributum annuale ab omnibus dioecesibus solvatur per annum. Exempli gratia, in nostris regionibus, salvis donis voluntarie datis sat magnis a nostris fidelibus et a dioecesibus, circa decem millia millium marcarum ex taxis ecclesiasticis sumuntur pro re missionaria.

Venerabiles Patres, omnis organismus vivens in hoc saeculo aut crescit aut decrescit, et nunquam in eodem statu manet. Huic legi subiacet etiam Ecclesia Christi: aut crescit, aut decrescit, tertium non datur; sive: rogamus Spiritum Sanctum ut Ecclesia nostra semper vivat et crescat interius et exterius; et nos omnes co-responsabiles sumus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Res missionaria secundum meum humile iudicium tam essentielle pro Ecclesia esse videtur et tam absolute quam speciatim in nostris adiunctis tantı momenti, ut non sufficiat eam paucis propositionibus absolvere, sed oporteat proprium et completum schema perficere et quartae Concilii sessioni proponere. Hoc non solum est meum iudicium, sed est etiam fervens desiderium Superiorum Generalium necnon multorum episcoporum Africae et ceterarum missionum. Rogo humiliter, ut hoc desiderium adhuc impleatur.

Ad singula:

1. Ex theologia missionis, quae multo profundior esse deberet, expungatur usus analogicus verbi « missio » pro regionibus olim christianis hodie autem magna ex parte dechristianisatis. Sed conceptus missionis appareat in suo fulgore



originali, quatenus significat evangelizatio Iesu Christi Salvatoris nostri, ubi hoc sanctissimum et dulcissimum nomen nondum praedicatum est. Et explicetur verbum S. Pauli « vae enim mihi est, si non evangelizavero » (1 Cor. 9, 16), sicut heri clarissime ostendit eminentissimus cardinalis Bea.

2. Aggregetur Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, ut in propositione quarta dicitur, Consilium Centrale Evangelizationis consistens ex aliquot episcopis tum ex missionibus tum ex antiqua christianitate et ex peritis missionariis tam practicis quam theoreticis, quod Summo Pontifici proponat modella accommodationis et adaptationis, quae in singulis regionibus et culturis apta sint, et evolvat strategiam missionariam inquirens, ubi sint maximae necessitates et possibilitates pro evangelizatione quibusque mediis, quibus personis, quibus adumentis materialibus praedicatio evangelii ibi fiat, ita ut Sacra Congregatio de Propaganda Fide magis ad statum dynamicum transeat sitque vere Consilium Centrale Summi Pontificis pro evangelizatione mundi.

3. Assentior propositioni quintae, secundum quam unaquaque dioecesis tributum annuale pro re missionaria Ecclesiae solvere debet; nam vere indignum et iniustum est episcopos missionum per menses vel per medium annum mendicari debere, ut suis ecclesiis providere possint. Sic in nostris regionibus e. g. salvis omnibus donis voluntariis fidelium vel dioecesium sat magnis circa decem miliones marcarum ex taxis ecclesiasticis solvi possent.

Omnis organismus vivens in hoc saeculo aut crescit aut decrescit, sed numquam in eodem statu manet. Huic legi etiam Ecclesia subiacet. Quare Ecclesia Christi semper vel intus vel exterius crescere debet, nisi decrescere velit.

2

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK

Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Rogatus a multis episcopis ex Ecclesiis novellis et e terris missionum qui a mea patria originem ducunt, liceat mihi de problemate missionario sequentia proferre, in festo hodierno Sancti Willibrordi, primi episcopi Ultraiectensis, qui hic Romae a Summo Pontifice Sergio I consecratus ut missionarius apostolicus est remissus in terram Frisorum.

In propositionibus « de activitate missionali Ecclesiae » vix agitur de ipsa vocatione missionaria. In uno tantum loco quasi per transennam de ea sermo fit et quidem in paucis verbis ...¹, ubi de episcopis dicitur quod vocationibus iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter faveant.

Fortiori quidem modo de ea loquitur constitutio *de Ecclesia*, ubi in n. 23 ...² legitur: « Singuli episcopi... missionibus... messis operarios... suppeditare omnibus viribus debent ». Sed videtur quod in ipsis his



propositionibus *explicite*³ agi deberet de necessitate, de natura et de conditionibus vocationis missionariae.

Si in hoc schemate in n. 2 dicitur quod « Episcopi totius mundi una cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate munus habent *ubique terrarum* fidem promovendi et Evangelii praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi », bene conscii esse debemus quid hoc mandatum Domini nostri Iesu Christi sibi velit.

« Praedicate evangelium omni creaturae » et « Docete omnes gentes », hoc sibi vult ...⁴ quod Ecclesia hodierna duobus milliardis hominum non-christianis, *i. e. fere duobus tertiis partibus totius humanitatis*,⁵ Evangelium Christi annuntiare debet...⁶

Opus evangelizationis mundi vix inchoatum est, non obstantibus conatibus vere magnis et fructuosis huius ultimi saeculi, quorum tot episcopi ex Ecclesiis novellis hic praesentes testes sunt gaudiosi.

Attamen erectio novellarum Ecclesiarum quae his ultimis annis in terris missionum floruit — et optime et necessario floruit — neminem fallat, acsi missio sacerdotum missionariorum ex nostris regionibus minus esset necessaria. Hae enim novellae Ecclesiae, in quibus pauci adhuc sacerdotes indigeni inveniuntur, maximum et valde grave implere debent munus et officium. Non tantum enim aggravantur cura animarum pro iis qui fidem catholicam iam acceperunt, sed ipsarum erit munus et officium mandatum Domini de praedicatione Evangelii implere omnibus iis qui in illarum territorio nuntium salutis nondum perceperunt. Ita ipsis Ecclesiis novellis incumbit sat magna pars muneris missionarii totius Ecclesiae per se ipsas implere, dum ex altera parte sine adiutorio externo vix adimplere possunt alterum officium, consolidationis nempe Ecclesiae in iis qui iam fidem acceperunt.

Ecclesia universa habet Domini mandatum ut Evangelium annuntiet omnibus gentibus *ubique terrarum*. Quomodo autem — dicit S. Paulus — audient sine praedicante? et quomodo praedicabunt nisi mitantur?

Sed in his ultimis annis, *sicut iam dictum est*,⁷ numerus missionariorum valde diminuit ...⁸. Manifestum videtur, quod hic retrogressus compensari non potest per sacerdotes dioecesanos, qui per aliquot paucos annos in novellis Ecclesiis et in terris missionum adiutorium praestare volunt — neglecta quaestione an isti sacerdotes qui per paucos solummodo annos in campo valde difficili laborant, adiutorium praestare valent revera fructuosum.

Quomodo Ecclesia Christi mandatum Domini implebit nisi numerus sacerdotum missionariorum augeatur? Sacerdotes missionarios dico, qui speciali vocatione se huic muneri dedicant dedicatione totali pro tota



vita. Sacerdotes qui optime sunt praeparati ad hoc munus sub respectu theologico, sub aspectu linguistico, pastorali, psychologico, etc., ita ut ad eorum praeparationem institutio specialis requiratur quae eo perfectior et uberius esse debet, quo in regiones mittuntur qui his ultimis annis sub aspectu politico, culturali etc. maximos fecerunt progressus.

Nonne est necessarium quod Concilium Oecumenicum in hoc schemate *de activitate missionali Ecclesiae* his sacerdotibus missionariis — sicut de cetero et aliis operariis in campo missionum, religiosis et laicis quoque, qui cum zelo exemplari et cum multis sacrificiis ad eximiam utilitatem Ecclesiae in spiritu apostolico se dedicant — specialem tribuit honorem et gratias et animi attentionem? Nonne Ecclesia hac nacta occasione loqui deberet de necessitate vocationis missionariae et de natura et essentia huius vocationis? Concilium parentes et iuvenes adhortetur ut has vocationes foveant, loquens de situatione Ecclesiae in regionibus missionum et in novellis Ecclesiis, loquens etiam de alto et sublimi munere quod missionarii in Ecclesia complent, quae per istos suos filios dilectos primarie mandatum Domini perficit ut omni creaturae et omnibus gentibus nuntium salutis annuntiet.

Tertia pars omnium sacerdotum originis neerlandicae, quinque milia scil. ex quindecim millibus extra patriam in novellis Ecclesiis et in regionibus missionum laborant. Et inter episcopos missionarios hic praesentes circa septuaginta ex nostra parva Ecclesia originem ducunt. His rationibus fretus rogare audeam ut in hoc schemate *maxima*⁹ et specialis attentio detur vocationibus *specificae*¹⁰ missionariis.

Et si gravissimum momentum huius quaestionis consideramus, quaerere liceat an Concilium nostrum loquens de munere missionario totius Ecclesiae, quod ad essentiam Ecclesiae pertinet, haec momentosa problemata tractare possit in quibusdam propositionibus et non in quodam tractatu quod momento horum problematum sit adaptatum. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ scil. pag. 10, linn. 11-12. ² pag. 66, linn. 11-15.
³ deest. ⁴ sicut dixit iam heri tam egregie em. mus card. Bea. ⁵ deest.
⁶ Statistici nos docent sequentia: in campo religionum sinensium quatuor tantum centenae partes sunt catholicae; in Iaponia tres centenae partes; in campo religionis buddhisticae fideles catholici duas centenas partes non attingunt; in campo hinduismi vix una centena pars et item in campo religionis islamiticae, ut de aliis regionibus non loquar. ⁷ deest. ⁸ v. g. durantibus annis 1955-1957 novi missionarii 733 in Africam sunt profecti; in annis 1957-1959 hic numerus erat 556 et in annis 1959-1961 tantum 331, i. e. nondum dimidia pars numeri annorum 1955-1957. ⁹ magna. ¹⁰ deest.



3

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Loquor ex fraterna collegialitate nomine episcoporum totius Africae.
In propositionibus nobis praeparatis, quaedam inter alia videntur esse retractanda.

1. Et primo quidem, ipse n. 1, *de necessitate missionis*, qui principium fundamentale exponere intendit omnium quae sequuntur. Textus non satis clare nec satis instanter affirmat momentum primordiale activitatis missionariae.

Ibi, enim, et recte, in memoriam revocatur Ecclesiam esse medium universale salutis a Christo institutum et ideo, ad hunc finem assequendum Ecclesiam praedicare evangelium ad omnes homines. Sed tunc, non sufficit dicere, ad finem paragraphi, evangelizationem *etiam hodie* summum momentum integre servare.

Quidquid sit enim de possibilitate salutis extra Ecclesiam, activitas missionaria de essentia est Ecclesiae, quae opus Domini continuat. Secundum sollemne mandatum Christi Domini, « Euntes docete omnes gentes... praedicate evangelium omni creaturae... », Ecclesia strenue adlaborare debet ut « verbum salutis » ad omnes homines perveniat et baptismus ipsis offeratur. Hoc est « maximum et sanctissimum munus » eius, sicut aiebat Benedictus XV, quod exigit conamina semper iteranda et semper urgentia.

Porro quot homines existunt qui nomen Domini penitus ignorant! Christiani minoritas sunt in populatione actuali terrae; immo numerus proportionalis eorum minuit de die in diem.

Firmius ergo asseratur munus missionarium et Ecclesiae et omnium filiorum eius.

2. Consequenter in n. 8 plura dici deberent de « debito missionali laicorum » praesertim a Concilio quod activitatem laicorum in Ecclesia vult promovere.

Ibi optime dicitur omnes christifideles tamquam membra viventes Corporis Christi, operi missionario cooperari debere. Sed postea schema nimis restringit istam cooperationem laicorum, sive agatur de opere evangelizationis, sive de sic dicta « consecratione mundi ».

Quoad *primum*, opus evangelizationis, textus loquitur tantum de adiutorio laicorum per preces ac sacrificia et per auxilia materialia. Sed



et ipsi *apostolatui directo* laici cooperare possunt et debent. Possunt et debent et ipsi, unusquisque secundum vocationem, esse « evangelii praecones »:

In novellis Ecclesiis ac regionibus missionum: v. g. laici possunt instructionem religionis multipliciter impertiendo, apostolatui paroeciali cooperare, variis organizationibus apostolatus opem ferre et sic porro. Singuli baptizati in missionibus a conversis debent evadi convertores. « *On n'est pleinement évangélisé qu'en devenant évangélisteur* ». ¹

In antiquioribus Ecclesiis: laici possunt spiritum missionarium propagare, studentes e terris missionum oriundos adjuvare, vocationes missionarias suscitare, subsidium non materiale tantum sed etiam spirituale pro missionibus organizare.

Quoad *secundum*, munus specificum laicatus missionarii, sive localis sive extranei erit utique « consecratio mundi ». Et optime commendatur in textu omnimoda cooperatio evolutioni sociali-oeconomicae terrarum missionum quae plerumque sunt regiones in statu evolutionis. Satis laudari non possunt, et incitari viri technici servitio missionum devoteutes et organizationes quae illos mittunt. Sed non evocatur aspectus forsitan praecipuus istius collaborationis. Laici imprimis solliciti erunt ut in ipsis missionibus apostoli et duces sociales formentur. Subsidium e terris christianis proveniens, sive quoad personas specializadas ... ² sive quoad pecuniam, primum finem habet: formetur laicatus localis adultus, ad omnia munera idoneus.

Super hunc ultimum punctum insistere volumus. Missio laicorum extraneorum quam supra et ipse laudavi, ex natura rei nequit esse nisi solutio provisoria, sane ad tempus necessaria, sed quae viam praeparare debet ad statum rerum in quo laici indigenae plenam assument suam responsabilitatem.

Patet 1° quia vocatio haec, ut experientia docet, valde difficilis est. Si pro sacerdotibus dioecesanis iam laboriosum opus est quod se solide praeparent, quod necessarium spiritum adaptationis acquirant, linguam et culturam novas addiscant, solitudine non deprimantur, sine dubio haec pro laicis adhuc difficiliora apparent. Addi debet quod, pro laicis, praesertim si in matrimonium iniverunt, securitas socialis in tuto ponenda est. Romantismo hic ne cedamus. Magis ac magis evidens videtur quod laici electi tantum, bene praeparati sive quoad technicam, sive quoad spiritum mitti debent. Sed haec ratio non est praecipua.

Patet praesertim 2° quia fides et Ecclesia nondum vere et plene « implantantur », ut dicunt, donec indigenae ipsi capaces sint totam responsabilitatem et animationem vitae christianae plene assumere. Hoc, Ecclesia semper fecit pro sacra Hierarchia; ad hoc etiam tendere debe-



mus pro laicatu. Dies veniet in quo laici extranei functionem supplementivam et subsidiariam tantum exercere valebunt.

His dictis de schemate,³ hac occasione et hac via liceat mihi brevissimum responsum afferre quibusdam reactionibus opinionis publicae qui ita interpretati sunt interventum meum de ethica matrimoniali ac si dictum fuisset quod doctrina et disciplina Ecclesiae hac in re nunc mutatae essent.

Quoad doctrinam, non agebatur, ut clare dictum fuit, nisi de studio faciendo in materia ista, non vero de reiiciendo quidquid in doctrina Ecclesiae hac in re authentice et definitive declaratum est, sed de synthesis facienda omnium principiorum in hac re concurrentium.

Quoad disciplinam, evidenter conclusiones commissionis de qua actum est iudicio Summi Pontificis subiiciendae sunt et suprema sua auctoritate diiudicandae, ut expressis verbis dictum fuit. Ut patet, modalitates in laboribus istis conficiendis unice ab eadem suprema auctoritate pendent.

Haec dicta sint ad omnem aequivocationem tollendam in opinione publica. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² (experts - periti). ³ deest.

4

EXC.MUS P. D. DEODATUS YOUNGBARE

Episcopus Kupelaënsis

Venerabiles Patres conciliares,

Circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*, cuius definitiva redactio hoc pastorali Concilio digna sit oportet, loqui cupio nomine plurimorum episcoporum conferentiae Africae occidentalis et aliorum episcoporum missionum ad quaedam desiderata exprimenda quae censemus non parvi esse momenti.

Vota nostra tria sunt sequentia:

1. Par. 3, in pag. 8 schematis, lineam directivam indicat quam sequi oportet in opere missionali; necesse est, ut nobis videtur, ut imprimis fundamentum totius evangelizationis bene collocemus; ad hunc finem, optamus ut ab initio huius paragraphi ponantur haec verba prioris schematis quae sic sonant: « Ecclesia a Christo missa nullum aliud fundamentum ponit in gentibus nisi Christus, cum non sit in alio aliquo

salus nec aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri ».

Numquam satis affirmabitur: missionem Ecclesiae essentialiter spirituales esse et locum centrale habere Christum qui omnis aedificii lapis est angularis. Ecclesia igitur, in sua missione, nullum scopum habet imperialisticum nec spem felicitatis successus evangelizationis fundat in adiutorio potestatis temporalis cuiusvis nationis.

2. In pag. 10, ad par. 5, systema proponitur ad missionibus necessarias opes colligendas. Quae opes, ut speramus, per pontificia opera pro missionibus traducentur. Illa enim opera pontificia ex diuturna experientia efficacitatem suam probaverunt. Plures ac plures organismi creantur nationales qui missionibus in terris adhuc in via progressionis adiuvere intendunt. Laeti sumimus occasionem nobis hic datam dignas laudes referendi illis qui his generosis motibus initium dederunt et omnibus qui in his caritativis organismis suam collaborationem variis modis praestant. Tale auxilium, in regionibus non paucis, permisit ut malum vinceretur et bonum adimpleretur. Attamen, nos aestimamus huiusmodi organizationes efficaciores fore si tantum, modo regulari, institueretur dialogus inter illos qui dant et eos qui recipiunt. Non agitur de dialogis istis ubi stant partes multo inaequales, sicut inter divitem et mendicum. Dialogus ille quem hic optamus sese vult potius ut elaboratio prospectuum a diversis responsabilibus eiusdem communis operis. Revera, nos in missionibus executores sumus programmatis quod Ecclesiae universali interest. Illi qui dant habent media ad opus necessaria. Illi vero qui recipiunt in ipso campo navant et eo ipso aptiores videntur ut sciant concrete quid urgentius, quid praestantius, quid utilius sit faciendum. Talis dialogus efficiet ne opera mere temporalia finem essentialem missionis indebite obruant, ne v. g. fames et aliae miseriae materiales in cogitationibus nostris maiorem locum occupent quam miseriae spirituales. Certe dolendum esset si Evangelii praecones pure assimilarentur illis qui vocantur operarii technici pro incremento in re oeconomica.

Omnibus his rationibus perspectis, libenter petimus ut in schemate praevideatur talis dialogus, addendo supradicto par. 5 id quod sequitur: « Liberalitas christiana pro missionibus plenum effectum assequi nequit nisi serius instituat dialogus inter Ecclesias quae dant et eas quae recipiunt, ut auxilia plane respondeant pastorali operi ab episcopis missionum statuto ».

3 et ultimo. Par. 12, in pag. 12, qui Opus catechistarum commendat, nimis brevis apparet. Declaratio, ut in textu iacet, praesentem conditionem catechistarum minime mutabit. Ulterius oportet progredi et



decisiones concretas in hac re assumere. Cum necessitas institutionis catechistarum ab omnibus admittatur, tantum remanet ut talis institutio sustineatur et amplificetur. Solum opus pontificium ad hunc finem auxilium certum et regulare providere potest, ita ut operarii messis, nec numero, nec qualitate deficientes, inveniantur in agro Domini. Quapropter proponimus ut hic art. 12 sic conscribatur: « Cum extrema necessitas postulet ut catechistae habeantur tum pro evangelio afferendo inter non-christianos, tum pro servitio catholicorum coetuum qui sacerdotibus carent, Opus catechistarum quam maxime foveatur, sive quoad eorum formationem sive postea quoad eorum materiale subsistentiam. Haec Sancta Synodus necessarium aestimat et postulat ut Opus Pontificium pro Catechistis instituat quod v. g. nomen haberet « Opus Sancti Pauli Apostoli ». Dixi. Gratias.

[*Subsignaverunt etiam*] J. Strebler; J. Brétault, év. Koudougou; Paul Zoungrana, arch. Ouagadougou; L. Sangaré, arch. Bamako; H. Berlier, év. Niamey; E. Durrheimer, év. Katiola; J. K. Amisshah, arch. Cape Coast; J. Lingenheim, év. Sokodé; J. Etrillard, év. Gagnoa; P. Rouanet, év. Daloa; L. Durrieu, év. Ouahigouya; J. Lesourd; E. Kwaku, év. Abengourou; B. Hanrion, praef. ap. Dapanga; A. Duirat, év. Bouaké; A. Konings, év. Keta; G. Bertrand, év. Navrongo; J. Esuah, ep. Kumasi; N. Boucheix, év. Porto Novo; P. Dery, ep. Wa; D. de Montclos, év. Sikasso; J. Coudray, praef. ap. Kankan; J. Perrot, év. San.

5

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS GANTIN

*Archiepiscopus Cotonuensis**Venerabiles Patres,*

*Nomine loquar episcoporum Africae et Madagascar.*¹ Iam multa dicta sunt de necessitate missionis in Ecclesia, et de urgentia evangelizationis; et iam bene notatum est missionem duraturam esse usque in consummationem saeculi necnon expansuram usque ad extremum terrae.

Sed, in mundo actuali, remanent multa praeiudicia contra illud opus expansionis Ecclesiae; illa enim interdum consideratur tamquam potestas aliqua timenda, extranea, tradita tota in manibus aliquarum nationum ad dominationem confirmandam non semper manifeste, sed discreto et immo occulto modo, quod sat periculosum apparet. Ut tollatur, quantum fieri potest, talis ambiguitas necnon suspicio, propositiones de

Missione clare et in modo sollemni aliquid dicere deberent *de universalitate Ecclesiae et Missionis*.

1. Universalis enim est Ecclesia missa eiusque spiritus servitii quia Deus Caritas qui eam mittit omnes homines vult salvos fieri; quia Christus pro omnibus mortuus est et resurrexit. Sicut ipse Christus, dicere potest: « Sunt mihi aliae oves adducendae et quidem omnes oves quae nondum sunt de unico ovili ». In tota historia salutis, nec Deus Creator, nec Christus Redemptor, nec Spiritus qui replet orbem terrarum, nec Ecclesia quae omnes convocat in populum Dei, nec ipsa Missio sunt aut esse possunt « acceptores personarum » ...²

Proclamatio iterata, firmiter etsi suaviter expressa, huius universalitatis provocare poterit, ut speramus, maiorem fiduciam illorum populorum in quibus laborat Ecclesia missa. Haec Ecclesia assimilari minime potest cum aliqua particulari natione, eiusque interesse vel influxu mere humano, politico, culturali, oeconomico. Nulla in ea solidaritas dominationis, sed unica voluntas ministrandi. Qui ergo in Ecclesia aggregantur per baptismum « non nascuntur ex voluntate carnis » secundum regulas et discriminations raciales, « neque ex voluntate viri » secundum aliquas normas culturae specialis, vel secundum leges alicuius tentaminis politici. Sed « ex Deo » nascuntur et ex Ecclesia nascuntur, quae est Mater omnium, spiritu universalitatis, caritatis animata. Quod pressius in propositionibus declarandum videtur.

2. Ecclesia est etiam supra omnes culturas, ita ut non absorbeatur, immo essentialiter non colligatur cum ulla cultura particulari, sed sic etiam aperitur omnibus culturis. Iam de Deo creante dicit Scriptura ...³: « Nihil odisti eorum quae fecisti ». Nec Christus ullam culturam respuit, ille Christus per quem omnia facta sunt, in quo omnia constant et in quem omnia tendunt, ut ab eo *recapitularentur*⁴ in gloriam Patris. Ecclesia cum Capite suo non vult ergo ligari nec limitari ab ulla cultura, ut omnibus praesto sit et ab omnibus recipi possit...⁵

Dialogus inter Ecclesiam et quamlibet culturam fit secundum legem « commercii », id est *gallice*⁶ « échange », secundum effatum: « *Le rendez-vous du donner et du recevoir* », i. e. mutua donatio valorum propriorum simul ac mutua acceptatio valorum alterius « ita ut totum (christianum) et singulae partes (seu culturae variae) sic augeantur ex omnibus invicem communicantibus et ad plenitudinem conspirantibus »...⁷

Ut tale commercium in praxi melius ostendatur, multiplicari utiliter debemus Instituta Superiora et Commissiones peritorum qui in unaquaque regione, sacerdotes ac laicos, nativos vel missionarios, praesertim iuniores, in pleniorum intellectionem et aestimationem ducant culturae illius regionis in qua vivere debent, et quaestiones specialiter



ad nos respicientes, in campo sociali praesertim; nobis v. g. magni pretii est Institutum INADES Patrum e Societate Iesu, in parte occidentali Africae positum ut talem formationem dilargatur ac diffundat.

3. Ecclesia, ut aiebat Pius Papa XII, est etiam supra nationes.

Sane Ecclesia missa, temporibus recentibus, fuit contemporanea cum colonizationem; immo vivens in regionibus colonizatis, non potuit non habere contactus cum regiminibus tunc existentibus. Sed ille occursus historicus, etiam si aliquando nimis intimus fuit, non impedit quin Ecclesia, natura sua, non ligatur cum ullo regimine politico determinato, omnibus regiminibus oboediat et oboedire faciat, dummodo sint honesta.

Non possumus non gaudere, videndo quomodo universalitas et transcendentia Ecclesiae ei permittat revelare, in concreto, multipliciter formarum in unitate Spiritus, et quomodo ei possibile sit progredi « circumdata varietate » versus mundum nostrum pluralisticum.

In illa universalitate (a propositionibus firmiter et clarius notanda), in illa libertate, in illa « incarnatione », poterit Ecclesia respondere expectationi huius mundi multiformis ad quem mittitur.

Ut aiebat magnifice Summus Pontifex Paulus VI in Canonizatione Sanctorum Martyrum Africanorum: « Evangelii praedicatione principium introducit, i. e. religio Christiana, eo pertinens, ut vires propriae, virtutes insitae, latentes ingenii facultates autochthonum erumpant, scil. eo nititur, ut gentes illae liberae reddantur, suis legibus vivant, maturescant, atque idoneae fiant ad exprimendas formas civilis cultus et artis proprias ingenii sui, idque modo ampliore ac meliore ».

Mihi tandem liceat verbum ultimum addere, quod hodie non inutile videtur: Terra nostra patria, gens nostra Africana semper aestimationem magnam et praxim continuam hospitalitatis habuerunt erga illos qui, a longe venientes, nova afferebant, et occasionem praebebant pro novis et utilibus contactibus.

Nos autem christiani africani corde et grato animo uniti cum Ecclesia in Concilio coadunata, populos ac duces nostros volumus rogare et immo adiurare ut semper illam traditionalem hospitalitatem exercere faveant ac foveant erga Ecclesiam salutarem quae unam tantum vult afferre novitatem, novitatem scil. vitae in Christo. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² (Act. 10, 34). ³ (Sap. 11, 25).
⁴ recapitulentur. ⁵ (cf. *de Ecclesia*, II, 13). ⁶ deest. ⁷ (*De Ecclesia*, II, 13).

Animadversiones additae:

Schema quod nobis hodie proponitur multo praecedentibus textibus elaboratis



praestat. Primo quidem ob titulum *De activitate missionali Ecclesiae* cuius resonantia magis universalis est quam anterioris tituli *De Missionibus*.

Ex altera parte, liceat nobis notare aspectum concretum huius schematis, bene evolutioni hodiernae Ecclesiae in sic dictis « Terris Missionum » aptatum.

Denique hoc schema omnino respondet voto spiritum Ecclesiae essentialiter missionalem fovere apud episcopos, sacerdotes et laicos.

Attamen liceat mihi aliquas animadversiones enuntiare quae versantur circa relationes inter episcopos residentiales et alios « Evangelii Praecones ». Hae relationes, ut mihi videtur, non sunt satis accurate in hoc schemate definitae.

1. In n. 2, pag. 8, sub littera « a », definitur responsabilitas collegialis episcoporum quoad evangelizationem mundi. Haec responsabilitas evidenter directe ex collegialitate episcopatus ut in schemate *de Ecclesia* declarata fuit, manat.

Sed nullum locum datur episcopo residentiali. Hoc nobis non videtur accipi posse, specialiter ubi agatur de « missione canonica » sacerdotibus conferenda in aliqua dioecesi particulari.

Ergo, propono ut haec paragraphus sic emendetur, vel quadam aequabili formula: « Episcopi totius mundi, una cum Petro et sub Petro, munus habent ubique terrarum fidem promovendi, Evangelii Praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi. Ubi tamen hierarchia est constituta, illi Evangelii Praecones prae manu Ordinario Loci assignantur qui eis officium et missionem canonicam conferat ».

2. Sub littera « b » eiusdem n. 2, definiuntur relationes inter episcopum et Instituta Missionaria.

Exc.mus D. Mels, in interventione sua, proponit quaestionem « commissione alicui Instituto Missionario facta » in terris Missionum. Haec quaestio est magni momenti in novellis Ecclesiis et solutionem debet accipere quae progressum illius Ecclesiae novellae maxime serviat.

Conclusionibus exc.mi D. Mels omnino congruo et cum eo opto ut ad definiendas relationes inter episcopum et Instituta Missionaria, cui omnia pacta particularia sese accommodare deberent.

3. In n. 7, pag. 11, linn. 1-4, textus sic emendetur: « Religiosi qui operi missionali incumbunt, munus apostolicum sibi concreditum implere debent iuxta praescripta et mentem Ordinarii loci, salvo tamen spiritu fundatoris atque Constitutionum ».

Ita melius explicitur munus episcopi ut centrum unitatis apostolatus in Ecclesia locali.

6

Exc.MUS P. D. PATERNUS NICOLAUS I. CORNELIUS GEISE

Episcopus Bogorensis

Venerabiles Patres, omnes adstantes dilecti,

Coetus episcoporum in Indonesia, cuius nomine loquor, unanimiter rogat ut, post plenas et liberas disceptationes institutas de his propositionibus, commissioni copia detur faciendi novum schema, *normale*



schema,¹ et non tantum aliquas propositiones. In elaboratione dicti novi schematis, animadversiones Patrum, quae *allatae sunt inter secundam et tertiam sessionem et*² *nondum* — uti dicitur in Relatione — considerari potuerunt insimul cum interventionibus nunc in aula faciendis, materiam abundantem praestabunt *commissioni*.³ Et ratio nostrae petitionis non est alia quam in relatione, nempe: momentum obiecti in vita Ecclesiae et magna exspectatio omnium illorum, quibus problemata missionum intersunt. Porro dicendum est hanc petitionem suam facere alios Patres repraesentantes viginti quinque conferentias episcoporum et *iam*⁴ septuaginta superiores generales et maiores ex ...⁵ Institutis, Congregationibus et Ordinibus, qui activitati missionali addicti sunt, ad eandem conclusionem pervenisse.

1. Em.mus praeses commissionis ipse iam dixit vos, venerabiles Patres, in hac aula conciliari frequenter ac ardentem votum deprompsisse ut universa Ecclesia se sentiat missionariam atque talis revera sit. Quaeritur nunc: numquid hae quatuordecim propositiones *demonstrabunt*⁶ nostris fidelibus, nostris missionariis, generationi futurae hoc Concilium Oecumenicum Vaticanum II revera se missionarium sentisse atque tale revera fuisse? Numquid inspectio intimae naturae Ecclesiae, quae est per essentiam missionaria, tantum quatuordecim propositiones generare potest? Reduco in memoriam vestram verbum poetae: Parturiunt montes, nascitur ridiculus mus! Sane, propositiones *non*⁷ sunt ridiculae, sunt satis bonae, sed sunt paucae, nimis paucae et certe non exhaustivae relate ad materiam de qua agitur.

Alia ratio ut novum schema conficiatur: nos missionarii putamus, moderatores illarum nationum, qui — *uti dicitur*⁸ — sunt in evolutione, *si quid legant de textibus ab hoc Concilio edendis*,⁹ probabiliter non lecturos esse schema *de Ecclesia aut de pastoralis episcoporum munere*, sed, *si quid legant, legent*¹⁰ hoc schema de activitate missionali Ecclesiae, *cum attentione benevola aut non benevola*.¹¹ Quapropter necesse est ut fusius et clarius et profundius tractetur de natura et fine huius activitatis missionalis, etiamsi haberentur aliquae iterationes illorum quae in aliquo alio schemate iam dicta sunt.

2. Quoad n. 1 in voto est ut in nova redactione activitas missionalis arctius connectetur cum intima natura Ecclesiae ...¹², et ut nexus enuntietur inter debitum missionale et voluntatem universalem salvificam Dei, quae in textu tantummodo iuxtaponuntur. Christi missionem implens et eius Spiritu vivens Ecclesia est illa visibilis communitas salutis, qua omnes homines vocantur, ut una cum Domino, in gloria regnante et super omnes potestatem habente ...¹³, unum populum Dei efformant et ad caelestem Patrem adducuntur. Ut sacramentum unitatis intimae



totius generis humani et universale medium salutis Christi, Ecclesia Evangelium ad omnes homines proclamat ut per eius praedicationem ad fidem adducantur et per Baptismum et participationem mysterii Eucharistiae Corpori Christi *plene* incorporentur. Quae activitas missionalis eo tendit, ut Ecclesia, ut communitas salutis, ubique praesens reddatur et sic media salutis, ipsi a Christo commissa, omnibus pateant. Sic faciendo Ecclesia manifestat et complet praeparationem Evangelii Christi, quae apud omnes gentes et in omni religione, ex voluntate salvifica universali Dei et ex dominio Christi super omnes homines, in aliqua forma adest. Non est quaestio — ut habetur in textu — de faciliore aut difficiliore salvatione, sed de impletionem missionis nostrae ad clarificandum Patrem per Filium, coadunando genus humanum in Ecclesiam Dei.

3. Quoad laborem missionalem, rogamus ut ea quae dicuntur in n. 3 sub e), i. e. in postremo loco, ponantur ante omnia alia. Ratio: ...¹⁴ haec situatio, ubi ...¹⁵ Christus plene evangelizari nequit, adhuc praevallet in maiore parte mundi, immo de die in diem sese magis magisque extendit. Christus frequenter plene evangelizari nequit ubi populatio in sua totalitate et cum perfecta tranquillitate animi, alicui magnae religioni non-christianae adhaeret; Christus saepe plene evangelizari nequit, ubi gentes per evolutionem in novis circumstantiis versantes, sibi, suae culturae et suae religioni emotionaliter consciae factae sunt; et nos omnes testes sumus, immo complures ex vobis, Fratres, cum dolore et tristitia experti estis in propria vita apostolica, quomodo verbum Dei, non tam longe a nostris hisce diebus adhuc libere praedicatum, nunc ita coarctatum est ut Christus amplius immensis turbis plene evangelizari nequit ...¹⁶

Concludo. Omnibus bene perpensis, conferentia nostra *non potest dare placet, sed dabit votum non placet ut schema conficiatur tam bonum et tam pulchrum ut gaudium afferat omnibus Patribus, immo universali Ecclesiae.*¹⁷ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ deest. ⁴ etiam.
⁵ variis. ⁶ demonstrare possunt. ⁷ nequaquam. ⁸ deest. ⁹ huius Concilii.
¹⁰ tantum. ¹¹ deest. ¹² ut fit in schemate *de Ecclesia*.
¹³ (Mt. 28, 18). ¹⁴ quia. ¹⁵ nempe. ¹⁶ Numerus christianorum, in comparatione cum populatione totius mundi, constanter imminuit: post viginti aut triginta annos christiani constituent circiter novem centenas tantum hominum in toto mundo. Desit ergo in novo schemate omne verbum quod aliquantulum sapit spiritum arrogantiae; sed exprimetur nostra humilis laetitia, quod nos, non obstantibus multiplicibus difficultatibus, adhuc praesentes esse et hominibus spirituale servitium praestare possumus, iis praebentes, verbo et opere, hanc initialem evangelizationem in aedificationem populi Dei. Utinam novum schema, modo



realistico novas circumstantias in mundo hodierno et futuro agnoscens, det nobis novas directivas ad componendam actionem missionalem vere adaptatam, quia patet in nostro tempore Ecclesiam ulterius non esse vocatam ad splendorem dominationis, sed ut fiat fermentum pro massa farinae, i. e. pro massa generis humani. Urget verbum apostoli Ecclesiam missionariam huius et futuri temporis, dicentis: fidem esse substantiam *sperandarum* rerum; argumentum *non* apparentium. ¹⁷ et — uti iam audistis — etiam multi alii Patres, votum dabit *non placet*, quando progreditur ad suffragationem: « an placet Patribus, ut post disceptationem schematis transeat ad suffragationem faciendam ». Et quidem, uti dicitur in Notificatione, quia post responsionem negativam, tota res remittitur ad commissionem ad recognoscendum, intra breve tempus, schema iuxta Patrum animadversiones. Petimus humiliter ut haec revisio instituat cum adiutorio plurium peritorum qui hodiernas novas dimensiones activitatis missionalis bene dignoscere possunt, ita ut deinde conficiatur aliquod schema tam bonum et tam pulchrum ut gaudium afferat omnibus Patribus, immo toti Ecclesiae.

Animadversiones additae:

Aliquae breves animadversiones, opinionem sat communem inter sodales coetus episcoporum Indonesiae reddentes, cum omni qua par est reverentia allatae ad construendum novum schema *de activitate missionali Ecclesiae*.

Plures Patres nobis aperuerunt opinionem suam ac si notio activitatis missionalis applicari poterit omni actioni evangelizationis; ita habetur in interventione Mgr. Geeraerts, die 9 nov. in parte II, sub secundo; afferuntur in loco citato motiva theologica. Iterum habetur in interventione Mgr. Sheen (eodem die) et afferuntur motiva profluentia ex actione caritativa (« Misereor super turbam »).

Noster coetus unanimiter putat hanc minus rectam opinionem rectificari debere in novo schemate.

In sua nota *de activitate missionali Ecclesiae*, pag. 4 ubi datur definitio dictae activitatis, P. Greco S.I. enumerat in a linea 1 elementa quae utilia sunt pro definitione construenda activitatis missionalis.

Ubi Ecclesia nondum integrata est in vita societatis et ideo heterochthona manet, alienigena, plerumque ab alienigenis adhuc praedicata, ibi est adhuc missionaria. « Elle n'existe pas encore ou existe seulement à l'état embryonnaire ». *Nondum integrata* nequaquam significat « nondum maioritatem complectens ». Etiam in minoritate consistens, Ecclesia potest esse bene integrata in aliqua societate. Status embryonalis adhuc habetur ubi familiae christianae sunt paucae et nondum dant vocationes sufficientes ad ordinandum vitam religiosam Ecclesiae. Haec omnia indicantur in *de Ecclesia* n. 17 ubi dicitur quod Ecclesia in « mittendis praeconibus indesinenter pergit, usquedum novellae Ecclesiae *plene constituentur atque opus evangelizandi et ipsae continentur* ».

Et sequitur quod structurae modernae non-christianae nequeunt dici obiectum « activitatis missionalis », uti fit in interventione Mgr. Geeraerts; quia hae structurae manent substructurae alicuius societatis in qua Ecclesia sufficienter integrata et evoluta sufficienti apparatus gaudet ut etiam hae categoriae sociales spiritu christiano imbuantur.

Sequitur etiam quod communitates aut Ecclesiae locales inopes (materialiter et spiritualiter) sed sufficienter in societate civili integrata (e. g. cum traditione



catholica) uti habetur in America Latina, nequeunt dici esse obiectum activitatis missionalis, uti habetur in interventione Mgr. Sheen (« Misereor super turbam »). Unaquaeque Ecclesia localis in inopiis degens debet adiuvari et omnes Ecclesiae locales pauperes obiectum sollicitudinis totius corporis episcoporum sint; sed adiutorium iis praestitum (etiam ab Ecclesiis « missionariis »! per preces et elemosynas, si possibile est) nequit dici activitas missionalis.

Ut opinio minus recta rectificetur, schema forsitan incipere debet ab actione evangelizationis in genere, in qua activitas missionalis habet suum proprium locum; et hoc adstruetur cum argumentis quae iam superius scripta sunt.

Actio evangelizationis fundetur in doctrina de aeterno consilio Patris uti fit in *de Ecclesia*, in interventione card. Bea (die 6 nov.) et in interventione Mgr. Zoghby (die 9 nov.), qui pulcherrime loquitur de Epiphania et de aspectu eschatologico in activitate missionali. Quod dicitur de actione evangelizationis in his contextibus a fortiori applicari potest actioni missionali. Ut aliquatenus obviam eamus fautoribus opinionis, iuxta quam structurae sociales non-christianae sunt obiectum activitatis missionalis, dicatur quod actio evangelizationis semper renovari debet pro ambitu sociali noviter orto.

Deinde dicitur clare quod in actione evangelizationis activitas missionalis habet suum proprium locum quia in his societatibus, ubi Ecclesia nondum integrata est et destituta ab apparatu sufficienti, Christus adhuc ita implicite tantum adest et adhuc ita abscondite, ut homines Eum prorsus nequeant agnoscere neque nomen Patris possint invocare. Elaborandum esset hic quid *explicita* cognitio Christi et Patris gratiae affert hominibus et societati.

Porro tractetur de Ecclesia ut *communitas visibilis salutis* omnium hominum. Cum pro illis gentibus, Ecclesia adhuc heterochthona est et prorsus alienigena, ab iis *nondum* agnosci *potest* ut illorum propria salus, immo nec realizatur ut talis. Sed pertinet ad ipsam naturam Ecclesiae ut communitas visibilis salutis ut sese praesentem faciat omnibus, illis proclamans, ut universale medium salutis Christi, Evangelium Domini, ut per eius praedicationem ad fidem adducantur et per Baptismum et participationem mysterii Eucharistiae Corpori Christi *plene* incorporentur (vide interventionem factam a Mgr. N. Geise, die 9 nov.).

Hoc modo dogma de voluntate salvifica universali Dei et debitum missionale Ecclesiae opportune coniunguntur.

In fine dicatur expresso modo quod activitas missionalis, utpote directa ad plantandam et integrandam Ecclesiam tali modo ut *plene* constituatur atque opus evangelizandi et ipsa novella Ecclesia possit continuare, renovationem in habitudine ipsorum missionariorum exigit propter novas circumstantias in « mundo tertio », ubi fere omnes gentes sui consciae factae sunt, cum sequelis maximi momenti pro « approach », faciendo a missionariis. Ubi habentur magnae religiones, illarum asseclae ferventius illis adhaerent quam antea, scientes nostram religionem « tantum » esse unam ex multis. Ubi habetur evolutio politica, resistentia emotionalis contra missionarios externos minuit occasionem dialogi instituendi cum iis. Haec omnia efficiunt missionarios esse in illis oculis alienigenos non tam desideratos, qui melius pergunt ad alias regiones aut simpliciter redeunt ad patriam suam. Inter novas dimensiones, de quibus loquitur schema, activitatis missionalis, « dimensio spiritualis » i. e.: mansuetudo, patientia, relicta omni specie superioritatis, humilitas et spiritus inserviendi, est maioris momenti quam novae dimensiones quae enumeratae sunt in schemate. Est haec illa classificatio Christi,



ab Eo merita per crucem, quam nos missionarii efficere conamur per viam humilitatis, frustrationis et difficultatum humiliter acceptarum in nostra activitate missionali, usque ad adventum Domini.

Totum schema ideo redigatur ut revera novum impulsus et methodum melius adaptatum novis circumstantiis dare queat toti populo Dei. Necessitas missionis potest etiam exprimi ex idea urgentiae (ex epistolis Pauli) et relate ad adventum Domini et relate ad novam situationem in mundo. Quanto tempore adhuc possibile erit mittendi novos missionarios? Et ideo processus adultas faciendi novellas Ecclesias debet celerius evolvi; schema nunc paucis verbis loquitur de hierarchia et clero indigenis. Dialogus cum magnis religionibus fortius inculcetur; suggestiones card. Frings quoad reorganizationem S. C. de Propaganda Fide, ita ut possit evenire verum *centrum* activitatis missionalis, nominetur; aliquod centrum quod per suos *peritos* et per sua membra magna experientia dotata, potest dare impetum, efficientiam, coordinationem, consilia et missionariis et episcopis et fidelibus extra regiones missionum.

Consilia in schemate quoad paupertatem elargiantur, quippe quod paupertas, sobrietas in mediis etc., servitium pauperibus etc. bonam voluntatem excitabunt in tertio mundo: confer cum hodie, propter differentiam in materialibus missiones non bonam voluntatem sed odium excitant in tertio mundo. Nominentur Instituta Missionalia laicorum.

Hae sunt aliquae animadversiones, propter defectum temporis non pulchre formulatae, sed humiliter allatae ut schema melius evadat.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, brevis pausa in nostra disceptatione..., ut annuntiem episcopatibus Africae linguae anglicae quod Summus Pontifex eos coram admittet feria tertia proxima hebdomadae, nempe die 10 huius mensis, hora 19.

Et episcopatus sunt ex Africa Sud-Ovest, Eritrea-Etiopia, Gambia, Ghana, Isola Maurizio (lego italice, uti scriptum est), Isola Reunione, Isole Seychelles, Kenya, Liberia, Nigeria, Nyassaland, Rhodesia, Sierra Leone, Somalia, Sudan, Uganda, Tanganika, Unione Sud-Africana.

Ego, Patres, legi uti scriptum est. Si quis error sit, vos potestis denuntiare et, si quae natio memorata non fuerit, potestis nostram secretariam adire, vel melius, prout dixi, officium Praefecti Cubiculi Summi Pontificis et has correctiones vel emendationes denuntiare, ita ut audientia rite perfici possit.

Ergo feria tertia proxima, die 10 huius mensis, hora 19.

Aliquis Pater mihi dixit, melius scripsit: quare ego nunquam praeberim incensationem triplici ductu assignatoribus locorum..., qui sunt, ut nos, sacerdotes, servi indefatigabiles Concilii, et semper amabiles cum Patribus conciliaribus [*plausus*]. Patres venerabiles, assignatores sunt de secretaria generali, quapropter non est bonum ut nos laudes faciamus de nostro officio. Sed vos laudes plurimas dedistis; est thurificatio non triplex, sed decuplex! Gratias.



7

EXC.MUS P. D. DANIEL RAIMUNDUS LAMONT

*Episcopus Umtaliensis**Venerabiles Patres,*

Loquor nomine multorum episcoporum Africae. Schema, uti iacet, statim revelat quam graves difficultates protulerit. Genitum enim videtur inter tot ac tantos partus dolores, quos relator nobis benigne notos fecit. Eidem et commissionis membris gratias agere debemus. *Uti notum est*,¹ ea quae inter difficultates et dolores nascuntur, magis amantur et pulchra videntur. Tamen, episcopi missionarii etsi aliorum doloribus compati sciant, aliquid aliud exspectabant, non nudas et eas simplices propositiones, sed schema ...² doctrina et propositis plenum, capax generandi in missionariis vires apostolatu dignas.

Non dico nihil boni in schemate contineri. E contra, positivum est; propositiones utiles sunt, necessariae sunt, sed non sufficiunt. Aequiparari possunt infrastructurae systematis electricae quae comprehendit columnas, lucifera fila, et alia adiumenta technica, cum motore tamen nondum coniuncta, vel a motore nondum excitata.

Disceptatio quae hic agitur certe quamdam consolationem affert nobis episcopis missionariis; immo ipsa praesentia Summi Pontificis heri in aula, iam est consolatio omnino praeter expectationem nostram, et in hoc, missionarii omnes laeti quod Primus Missionarius ...³ inter ipsos sedeat gratias quam maximas ex corde ei reddunt [*plausus*]. Sed frustratio expectationis pro populis et ...⁴ missionariis esset, si opus gloriosum missionale Ecclesiae ad paucas nudas propositiones comprimeretur.

Uti iacet, schema non sufficit. Loco alicuius auxilii virilis et fortis, habemus ossa arida. In memoriam vocat visionem quam Dominus Ezechieli ostendit: « Erat campus plenus ossibus... et ossa erant multa et sicca vehementer ». Licet mihi a vobis quaerere quod Dominus ab Ezechiele: « Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti! » ...⁵ Ossa sicca sine carne, sine nervis... solus Deus scit utrum vivant an non.

Omni qua par est reverentia, dicam: funditus recognoscatur schema. Aliquid amplius faciendum est. Quid vivum volumus; quid huius secundae Pentecostes dignum. Hoc deficiente, tota activitas missionalis Ecclesiae carebit dynamismo quem a Concilio exspectamus. Parum valet dicere multos aspectus activitatis missionalis alibi a Concilio tractari.



Dolendum enim est quod hoc schema praeparatum fuit antequam in Concilio fundamentale schema *de Ecclesia*, quod omnia alia schemata illustrat, perfectum est. Ideoque dico: funditus recognoscatur...⁶

Tota Ecclesia seipsam considerans exspectat renovationem impulsus primitivi divini mandati apostolis commissi, ad mundum lucrandum. Nos, quibus honor et privilegium est in terris missionum laborare, exspectamus a Concilio novum pignus gravis propositi episcoporum, novam infusionem zeli, novam ardorem, novam spem cooperationis ab omnibus. Parcite mihi, vos theologi, si adhuc termino « terra missionis » utor. Quomodo possumus non loqui de mundo missionario dum quatuor ex quinque partibus hominum adhuc Christum nesciunt?

Dicite mihi,⁷ venerabiles Patres, si hoc documentum aliquem ex vobis *privatim*⁸ iam inspiravit ad aliquod sacrificium vel ad nova conamina instituenda pro missionibus? Si episcopus non movet, multo minus superiores Ordinum et Congregationum movebit.

Mihi persuasum est nudam hanc seriem propositionum nunquam impulsuram fore superiores generales religiosorum vel (quod forsitan plus est) religiosarum ad sibi subiectos in missiones mittendos, et eorum loco e. g. in scholis et in nosocomiis patriae idoneos ponendos laicos.

Quid valent aridae iuridicae propositiones? Num corda iuvenum zelo, generositate aut spiritu sacrificii implebunt? Nonne Christus dixit: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » ...⁹. Documentum nostrum nihil accendet.

Frustramur! Sperabamus audire vocem unanimam Patrum Concilii resonantem usque ad fines orbis terrarum, sed ad hoc faciendum, schema istud tam inutile videtur ac si una tantum vox humana totam hanc basilicam implere vellet sine auxilio huius microphonii!

Quaerebamus a Concilio lucem pentecostalem quae splenderet ad illuminandas mentes hominum ubique terrarum...: accensa est haec candela!

Volebamus arma moderna efficacia contra tela nequissima paganismi...: oblata sunt in schemate arcus et sagittae!

Panem petivimus, et dederunt nobis (non dico lapidem), sed aliquas propositiones ex tractatu de missiologia!

Venerabiles Patres, volumus ab hoc Concilio Vaticano II inspirationem evangelicam, novas apostolicas visiones, novos impulsus, nova conamina communia.

Volumus nos zelo a vobis accendi, ut eo incensi ardorem aliis communicare possimus. Hic in Spiritu Sancto congregamur, veri apostolorum successores, ad aggrediendum eundem laborem quem illis Dominus commisit...¹⁰



Venerabiles Patres, veniam peto si ad similitudinem ossium tandem recurram. Mihi persuasum est, nos et posse et velle haec ossa in schemate contenta, nervis et carne induere. Nolite ossa ista sicca relinquere. Inspirare in ea spiraculum vitae. Date nobis quid dignum hac altera Pentecoste, ut a Spiritu impulsus in Concilio, tamquam apostoli in prima illa Pentecoste, fide et virtute renovati, proficiscamur ad loquenda magna Dei in quatuor mundi partes.

Ezechiel vidit et « ecce, super ea nervi et carnes ascenderunt, et extensa est in eis cutis desuper... et dixit Dominus: A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant... et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt: steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde ».

Haec spes mea. Ecce labor noster. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² schema verum i. e. ³ quasi. ⁴ nostris. ⁵ (Ez. 27, 1-3). ⁶ istud schema. ⁷ Aperte quaeram a vobis. ⁸ deest. ⁹ (Lc. 12, 46). ¹⁰ Numquid possumus a Concilio exire contenti de coexistentia cum mundo pagano de die in diem increscente?

Moderator: Audire velint Patres! Ut accidere solet in progrediente disceptatione, repetitiones fiunt. Proinde enixe rogantur Patres ut pressius et concrete loquantur ad quaestiones de schemate, ad quaestionem utrum admittatur et ad singulas propositiones, ne fiant orationes rhetoricae.

8

EXC.MUS P. D. CYPRIANUS KIHANGIRE

Episcopus tit. Maurensis, aux. Guluensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Loquor in nomine ...¹ episcoporum missionalium Africae. Iam multa et pulchra dicta sunt in hac aula de « laicis christianis », de illa gente sancta, de illo regali sacerdotio; multi Patres notaverunt eos posse et debere apostolatam sacerdotum complere et adiuvere.

Inter laicos illos apostolicos, magnum et forsitan primum locum habent *catechistae*, viri et mulieres, qui, conatu indefesso, in instructionem christianam adultorum et puerorum laborant. Iam in Europa aut in America, ubi tamen adest copia sacerdotum, reputantur utilissimi, immo necessarii.

Quid tunc dicendum est de *terris missionum* et de necessitate cate-



chistarum in illis terris? Ibi deest copia sacerdotum; ibi, rari sacerdotes apostolatui directo dediti non sufficiunt, ne ad christianos quidem in vita christiana confirmandos et perficiendos; suntque sacerdotes qui de duobus, de quinque, de decem millibus christianorum curam pastoralem habent. Tempus ergo eis non superest ad non christianos adeundos. In illa incredibili sacerdotum inopia, catechistae numerosi et bene formati maximum habent momentum.

Catechistae sunt auris missionarii, ad informationes colligendas de statu communitatum; sunt os missionarii, ad veritates paganis praedicandas; sunt denique manus missionarii ad catechumenos efformandos, immo baptizandos. Bonos hortantur, malos arguunt; in suo quoque viculo, afferunt praesentiam Ecclesiae. Multum possunt ad vitam christianam sustinendam et augendam. Praesentia, vel absentia, catechistae est pro multis regionibus magis dissitis, quaestio vitae aut mortis animarum. Catechistae sunt, ut ita dicam, sacerdotes sine Missa et supra dictis exigentiis aliquomodo satisfacere valent. Et notandum est tempus opportunum ad convertendam Africam est hodie, non crastina die — rape occasionem — et etiam media ad conservandam fidem neophytorum applicanda sunt hodie, secus « sero medicina paratur ».

Quare videtur textus de catechistis in propositionibus de activitate missionali Ecclesiae nimis ieiunus, debilis et generalis. *Debet*² perfici.

1. Ut mihi apparet, declaranda sunt sequentia: *a*) necessitas immediata et immensa catechistarum, praesertim in Africa; *b*) exigentiae formationis accuratae, tum in studio praeparationum evangelicarum quae iam existunt in *regione*³ locali, tum in cognitione profunda christianismi, non tantum ex libris hausta, sed roborata etiam et magis ex vita christiana personali et interna; *c*) necessitas assecurandi eis statum vitae (standard of life) decentem pro propria persona et pro familia.

Illa tria puncta melius et clarius in textu apparere debent.

2. Ut commendationes praecedentes in effectum duci possint, varii *passus practici* faciendi sunt, quorum aliquos indico:

A. Creandae sunt *scholae speciales* pro catechistis, semper numerosiores, in ipsis terris missionum, in quibus, per tempus sufficienter longum, instruantur non tantum de officiis adimplendis sed etiam de modo practico adimplendi illa officia.

B. Designandi sunt, inter *missionarios itinerantes*, aliqui qui de situatione spiritali et technica catechistarum permanentiter curent, ut semper meliores fiant.

C. Ad quem scopum attingendum, multum utiles erunt *sessiones speciales* pro « aggiornamento » catechistarum, quae habendae sunt ad minus unoquoque tertio anno.



D. Immo, si quis catechista donis excellentibus praeditus sit, nil impedit quin mittatur ad scholam magis specialem et elevatam, etiam — si casus fert — in Europam aut Americam, ut ibi studia ampliora et altiora perficiat, methodosque meliores addiscat.

Optandum videtur ut textus etiam aliquid dicat de his mediis, saltem breviter.

3. Mihi liceat addere etiam *aliquas quaestiones*.⁴ Catechistae sunt maximi momenti; eorum formatio magnas curas et multam pecuniam requirit, et quidem modo urgenti. Nonne bonum sit ut pro eis condatur vel aliquod *opus missionale pontificium* novum, vel saltem aliqua sectio specialis in Opere Propagationis Fidei?

Timendum est ne, apud populos christianos, quaestio catechistarum appareat usque nunc tanquam parva res, parvum opus pium; debet, e contra, omnium christianorum attentioni proponi tanquam aliqua *necessitas primordialis*, tanquam adiutorium selectum ad Regnum Dei ubique stabiliendum.

Textus ampliores requiruntur, sed non satis erunt nisi creentur opera requisita, sive in centro Ecclesiae, sive in unaquaque regione ecclesiastica per conferentiam episcopalem, sive interdum ab episcopo aliquo pro necessitate suae propriae dioecesis.

Quod si fiet, sperare possumus miseriam spiritualem tantarum ovium sine pastore errantium efficacius minui posse. Quod nobis det Deus! Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ multorum. ² Deberet. ³ religione.
⁴ aliam quaestionem.

9

EXC.MUS P. D. PETRUS MASSA

Episcopus Naniamensis

Venerabiles Fratres,

Paucas tantum animadversiones submittere vellem benignae vestrae attentioni.

Schema est bonum, sed *tantum*¹ iuxta modum. Animadvertere vellem quae sequuntur.

1. Titulus *de activitate missionali Ecclesiae*, non mihi placet, quia occasionem ingenerat confusionis. Melior erat titulus primi schematis: *de Missionibus*.

2. In schemate, pag. 7, linn. 8-10, dicitur: « Dum enim per saecula plane distinctio vigerit inter terras missionum et terras christianas, etc. ».

Distinctio inter regiones quae christianae vocari adhuc merentur, etsi earum incolae baptizati nimia ex parte a fide videantur defecisse, et regiones illas quae fidem numquam receperunt mihi videtur rerum veritati etiam hodie congruere. Difficultates enim in his et in illis non eaedem sunt; media et methodi apostolatus diversa esse debent.

« Ecclesia tota in statu missionis esse debet ». Effatum hoc hodie usurpatum (vulgo « slogan ») etiam nos libenter admittimus, eo tamen sensu, quod Missiones ad Gentes iam non relinquuntur spontaneae actioni paucorum operariorum, ut per nimium tempus factum est, verum in activitate Ecclesiae universalis inserantur, ut praecipuus adpectus huius activitatis. In hac linea, ni fallor, *Summus Pontifex*² Ioannes XXIII de actione missionaria tamquam de « praecipua, ne dicam unica, Ecclesiae activitate » locutus est.

3. Eadem pag. 7, linn. 13-20, legitur: « Progressus scientificus praeterea necessitatem ostendit homines attingendi in coetibus religiosi et culturalibus in quibus vivunt, etc. ».

Ad hoc animadvertimus hic innui normam pastorem summi momenti, *adaptationis* nempe propriis cuiuscumque gentis moribus et ingenio. Quam normam de cetero numquam Sedes Apostolica missionarii commendare desiit, et omni tempore missionarii permulti, alterna licet fortuna, in praxim deducere conati sunt.

Attamen textus affirmare posset clariore formula, principium adaptationis nullo modo extendi posse ad elementa veluti essentialia religionis christianae, ne quis sibi somniet christianismum aliquem deminutum seu, ut ita dicam, aqua dilutum.

Memnisse hoc loco placet, si opus est, universalem adaptationem tribuendam esse Legi evangelicae pro sua ipsa divina origine.

Difficultates contra eandem evangelicam Legem magis a vulneribus quae peccatum intulit humanae naturae proveniunt, quam a peculiaribus cuiusque gentis moribus et cultu.

Quo posito consentimus omnes, ut puto, in externis structuris et organizatione Ecclesiae catholicae plura adhuc existere, quae poterunt pro diversis populorum et regionum adiunctis immutari. Clare hoc docuerunt Summi Pontifices Pius XII et Ioannes XXIII.

Hic adiungere vellem fructum aliquem experientiae meae. Per longos annos quos in Sinensibus Missionibus expendi, in hanc deveni persuasionem: Sinenses a fide christiana amplectenda non praecipue eiusdem fidei exigentiis impediri (mores namque illius nobilis populi iam naturaliter christiani dici poterant), sed hac potius difficultate, quod qui



christianus fieret valedicere cogebatur multis vetustis institutis et moribus maiorum, eique facinori imputabatur, quod extraneorum cultui adhaesisset.

4. In propositione secunda, pag. 8, littera *a*), lin. 11, dicitur: « Episcopi totius mundi, una cum Romano Pontifice... ». Sic forsitan melius: « Summus Pontifex, et sub eius auctoritate episcopi totius mundi... ».

5. In propositione 12, pag. pariter 12, sermo est de *Catechistis in terris Missionum*, et duobus tantum lineis hoc magni ponderis argumentum absolvitur.

Aequum videtur hac ipsa in aula conciliari publice et solemniter laudis tributum solvere numeroso illo agmini, humili quidem et fere ignorato, de opere tamen Missionum ad gentes benemerito, catechistarum scil.; qui spiritu vere apostolico imbuti magnis laboribus inaestimabile adiumentum contulerunt ad fidem omnibus gentibus communicandam; quod adiumentum etiam in posterum conferre poterunt.

Optandum tamen, sicut iam dixit alius Pater, ut iisdem catechistis sustentandis et numero augendis novum peculiare Opus Pontificium instituat.

Alias animadversiones in schemate scripto tradam secretariae. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest.

[*Subscripterunt etiam*] Caietanus Pollio, arch. metr. Hydruntinus; Marius Civelli, ep. Ueihoeivensis; Laurentius Bianchi, ep. Sciamchiamensis; Ioseph Obert, ep. Dinajpurensis; Ambrosius Galbiati, ep. Jalpaiguriensis; Alphonsus Beretta, ep. Varangalensis; Aristides Pirovano, ep. tit. prael. Macapensis; Ioannes B. Gobbato, ep. Taunggyiensis; Archangelus Cerqua, ep. tit. prael. Parintiensis.

10

EXC.MUS P. D. PETRUS CARRETTO

Episcopus tit. Zenobiensis, vic. ap. Rajaburiensis

Venerabiles Patres,

Nos, episcopi Thailandiae, Laos, Cambodgiae ...¹, magno cum gaudio legimus in priore schemate de Missionibus in n. 25, pag. 23, quaestionem de « Gemellatione » uti practicam solutionem nostrarum difficultatum tam materialium quam psychologiarum et personalium; at non parvo stupore et dolore vidimus hanc propositionem deletam esse in altero schemate.

Dum res politicae ita hodie aguntur ut regiones et civitates solidio-



ribus vinculis inter se socientur, ita hodie — impellente Concilio Vaticano II quod omnes episcopos ad sollicitudinem universalem in regimine Ecclesiae instimulat — oportebit ipsas dioeceses validiore vinculo obstringere in re missionali.

Compertum est in partibus infidelium, vicarios apostolicos et novos episcopos residentiales mandatum accipere creandi Ecclesiam Dei, saepe quasi ex nihilo, cum laborent carentia sacerdotum, religiosorum et religiosarum, carentia laicorum qui in agro Domini ut medici, ut technici, ut magistri vires conferant, carentia denique subsidiorum et pecuniarum.

Hucusque Sacra Congregatio de Propaganda Fide una cum singulis familiis religiosis non parum enixae sunt has difficultates solvere; cui quidem adiungendae sunt piae operae uti Sanctae Infantiae, Sancti Petri Apostoli pro Clero Indigena; praeterea recolendae sunt, magna cum gratitudine, institutiones non mediocris nominis uti « Cooperatio Missionalis » (Mission Co-operation Plan) in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis, uti « Misereor » in Germania, et aliae. Diffidendum tamen non est res posse in meliorem statum adduci ne dioeceses in partibus infidelium quasi quaedam insulae vivant, et ut ipsae, si Sanctae Sedis Organa excipias, de magno pelago solitudinis sublevantur in quo ne mergantur, vires expectant et preces.

En propositum: Sunt in Ecclesia dioeceses « fortes, bene stabilitae », uti dicitur, et quasi « novellae Olivarum ». Quae dioeceses — indicante Sacra Congregatione de Propaganda Fide vel alio modo — possent « veram gemellationem » cum novella dioecesi inire. Ex hac fraterna gemellatione, aliquid *personale in verae familiae specie*, fieri posset, cum episcopo, cum sacerdotibus, cum laicis; et ita innumerabilia orirentur bona, non tantum pro Missione, sed etiam pro dioecesi adoptante: communes aspirationes, auxilia, orationes, sacrificia. Missio adoptata verum, *verum idealismum missionarium* ingeret in sacerdotes et laicos, in iuvenes cuiuscumque conditionis et facile multiplicabuntur vocationes sive pro Missione sive pro clero locali et pro diversis familiis religiosis. Dioecesis adoptans, certo certius, multiplicabit adiumenta pecuniaria (fideles libentius dant cum personaliter norunt quos adjuvant), *multiplicabit*² sacerdotes, religiosos, laicos peritos.

Nos ergo humiliter petimus ut in schemate secundo inscribatur quaestio de gemellatione et problema profundius expolietur ad maiorem frugem in Missionibus obtinendum et ad vitam missionariorum facilius reddendam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ etc.

² deest.



EXC.MUS P. D. PETRUS IOANNES ANTONIUS MOORS
Episcopus Ruremondensis

Venerabiles Patres, adstantes omnes carissimi,

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad schema *de activitate missionali*, sequentia proferre velim.

Constat hoc Concilium non posse silere activitatem missionalem, cuius successu Ecclesia universalis iuvenesci potest et debet. Opus nobis proinde est alicuius magnae chartae in hac materia.

Attamen, in schemate praesenti deest visio theologica activitatis missionalis. Iuvat ut haec visio in aliqua parte prima anteponatur secundae parti de practicis, de quibus nunc praesertim schema agit.

Tali in prima parte oportet explanetur idea biblica nexus inter praedicationem evangelicam et secundum adventum Domini nostri Iesu Christi, ita ne necessitas missionalis activitatis unice fundetur in praecocepto positivo Christi, cuius sensus ab intrinseco non elucidaretur.

Ibi etiam explanandum esset sic dictam « plantationem Ecclesiae », — sic dictam « *plantationem Ecclesiae* »¹ — non esse² unice per institutionem Sacrae Hierarchiae, scholarum, etc. Vi voluntatis salvificae Dei, omnibus dantis gratias sufficientes, vique universalis domini Christi resuscitati, Regnum Dei et redemptio Christi latenter sed operose iam praesentes sunt antequam Ecclesia activitate sua missionali operari inceperit in istis regionibus, i. e. antequam fiat historica confrontatio illarum culturarum non christianarum cum concreta Ecclesia. Hac gratiae praesentia praesupposita, oportet instituatur verus contactus seu concursus (« *rencontre* », « *Begegnung* », aut « *meeting* »³) inter Ecclesiam et illas culturas (cum homines considerari nequeant seorsim ab illorum cultura). Ut concursus talis *reapse* adsit, prius oportet in illis culturis exsuscitetur vera indigentia Christi. Porro, de facto non raro Ecclesia concreta istis culturis sese manifestat non talis indolis, quae possit *reapse* alloqui et allicere istas culturas. Quam ob rem concursus ille inter Ecclesiam et culturas non christianas per prius debet gignere locupletationem ipsius Ecclesiae, ita ut, sic ditata, Ecclesia re ipsa possit occurrere illis culturis et plantatio Ecclesiae initium sumere possit. Ast, neminem fugit praesentiam christianorum ex extraneis regionibus et culturis non raro secumferre ad illas regiones, ubi missionalis activitas exercetur, problemata occidentalia necnon symptomata culturae occidentalis christianae aliquantulum decadentis. Consequens est quod de



facto confrontatio historica inter culturas non christianas et concretam formam Ecclesiae non raro periculum secumferre alicuius detrimenti pro cultura autochtona.

Omnia ista silet schema, dum tamen haec problemata maxime pertinent ad id quod est vera plantatio Ecclesiae. Agitur enim de testimonio Ecclesiae praesentis in mundo non christiano, et *non tantum* de directa actione in favorem individualis conversionis. In quo testimonio essentialiter etiam intrat problema scissurae Ecclesiarum christianarum.

Demum, schema de facto potius silet relationem inter activitatem missionalem et problemata sic dicti « mundi tertii », qui materialiter plerumque coincidit cum regionibus in quibus activitas missionalis exercetur.

Proponitur proinde, ut in hoc prospectu exaretur prima pars huius schematis loco prooemii et n. 1, dempto quidem toto n. 3 ...⁴

Ex hac quodammodo substantiali mutatione sequitur quod loco aliquarum « Propositionum » iuvat ut hae propositiones statum obtineantur maiorum schematum, scil. statum alicuius constitutionis vel ad minus solemnem decreti.

Quaedam particularia. 1. Quaeri potest, utrum structura « Propagandae Fidei » sit indolis talis, quae respondeat condicionibus modernis evolutis.

2. Nonne etiam Concilium debeat gratias reddere illis missionariis, qui nunc in perdifficillimis circumstantiis, non raro etiam cum periculo vitae, activitatem missionalem prosequantur? Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² adesse. ³ encounter. ⁴ (pag. 8-9)

12

EXC.MUS P. D. IOANNES B. VELASCO

Episcopus Sciamenensis

Venerabiles Patres,

Episcopus sum e Sinis expulsus, in praesenti laborans in Insulis Philippinis, iam per novem annos, *et quidem cum magna collaboratione episcoporum illarum terrarum*,¹ tamquam vicarius episcopalis pro plus quam trecenta millia civium Sinensium ibi diuturne commorantibus, ex quibus 75 millia catholici baptizati sunt. Nazione sum hispanus et ad sacerdotium promotus in Statibus Foederatis Americae Septemtrio-



nalis ubi per quatuor annos studia theologica perfecit. Ergo missionarius sum quadam experientia et, parcat mihi exc. mus D. secretarius generalis Concilii, latinista vere princeps atque ornatissimus, cosmopolitate sat praeditus (*hispanice: cosmopolita, cosmopolitan*).²

...³ His, *quae dico cum aliqua*⁴ bona ulteriore intentione, praelibatis, ad animadversiones circa nostrum schema transeo. Animadversiones particulares secretariatu tradam. En generales:

I - Si schema hoc reformari non possit, melius esset ut omnino supprimatur et puncta maioris momenti in eo contenta, ad schema *de Ecclesia* necnon *de pastoralis episcoporum munere in Ecclesia* transferantur. Aequum facere schema nostrum cum schematibus « De scholis catholicis », « De matrimonio », *etc.*,⁵ omni sensu proportionis caret!!!

Ergo schema *de activitate missionali Ecclesiae* vel totum atque completum, vel nihil!

II - Nobis multum placeret si in hoc *novo*⁶ schemate plura dicerentur, et hoc absque ulla ambiguitate, de obligationibus non tantum Evangelii praeconum — missionariorum — exterorum sed etiam cleri nativi, congrua congruis referendo. Aequalitas plena planaue in omnibus, in iuribus simul ac in obligationibus, *inter utrumque clerum, nativum nempe et exterum*,⁷ meo sensu, erit fons pacis, mutuae intimiorisque cooperationis inter *nativum — repetam — clerum*⁸ et exterum.

In nostro schemate fere nihil habetur quod ad clerum nativum directe spectet, et tamen in compertum est opus missionale esse pensum utriusque cleri...⁹

Optimum est, immo et maxime necessarium, missionarios externos graviter admonere de eorum obligationibus peculiaribus — de adaptatione, de studio linguae, *de accommodatione etc.*¹⁰ populorum quibus Evangelium praedicatur, de simplicitate, paupertate atque caritate, *etc. etc.*¹¹ —. Sed adsunt quoque munera et officia a clero nativo observanda. Officia dicam et peculiaribus (de generalibus obligationibus omnium sacerdotum hic non agitur) ex peculiaribus adiunctis in quibus clerus natus versatur, in suo animarum apostolatu — nempe, diuturna cum sacerdotibus exteris consuetudo atque conversatio — originem ducentia.

Tantummodo mentionem facere — uti etiam fit in manualibus de iure missionali ...¹² — de obligationibus, moribus et legibus ab exteris sacerdotibus fungendis et observandis, *paternalismi* spiritum gignere potest, sensim sine sensu. Paternalismus a sensu saltem cuiusdam « superioritatis » non multum distat! Prima facie videtur elenchum illarum regularum, legum, consiliorum, *etc.*, esse quid clerum illum nativum et

nativas gentes favens atque honorans, re factoque ita non est, ut diximus, si omnia profundius considerantur... Latet anguis in herba!

Accedit et alia ratio, nempe progressus scientifici atque culturales in nostris temporibus patrimonium iam sunt fere omnium *gentium*.¹³ Qui quidem progressus dissimilitudines inter populos et gentes magis ac magis obruit vel tollit, illos inter se coadunando et coaequando ...¹⁴.

*Haud parum quidem huic iustitiae et caritatis spiritui conferet sequens, pro nobis obvia, consideratio, homines, videlicet, cuiuscumque stirpis sint, cuiusque loci, cuiusvis gentis, non adeo ab invicem differre ut communiter a nobis tenetur. Differunt quidem, sed rem nostram quod respicit, non profecto ratione boni, seu virtutis, quae quidem est amabilis, sed potius ratione defectuum, quos peccatum originale in iisdem hominibus, in toto genere humano, induxit.*¹⁵

Quaedam exinde consequuntur corollaria, quibus hic spiritus unionis magis magisque foveri deberet. Imprimisque potius quam de defectibus et dissimilitudinibus, loquamur de similitudinibus, de illis omnibus in quibus uni, et non iam diversi sumus. Differentias proclamare atque exaltare esset quodammodo quemdam murum inexpugnabilem construere *psychologice*¹⁶ occidentales inter et orientales, *populos inter et populos*,¹⁷ clerum autochthonum inter et exterum, et sic porro de ceteris. Differentiarum via secuta, vel numquam, vel saltem difficulter ad optatam unionem et animorum concordiam perveniemus. De cetero, nemo non videt quomodo hoc praevalens colloquium circa ea in quibus homines convenimus, valde consentaneum sit oecumenico spiritui, quem animam ...¹⁸ dicimus huius Oecumenici Concilii Vaticani II.

III - Imperfecta haec nostra remaneret oratio nisi quaedam dictis adiiciamus circa sic dictum *nationalismum*, qui, omnibus ac potissimum missionariis consentientibus — *simus sinceri*¹⁹ —, intimam connexionem habet cum opere evangelizationis ...²⁰. Pernota sunt omnibus quot quantaque obstacula hoc systema praedicationi verbi Dei non minus insidiosae *aliquando*²¹ quam tenaciter *frequenter*²² opponat. Necesse, itaque, est non modo quaedam in huiusmodi *nationalismum* animadvertere, verum quoque petere ut hoc Sacrum Oecumenicum Concilium, sive in hoc schemate, sive etiam in illo *de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis*, rem serio perpendat, et saltem sequentes quaestiones ad quamdam obiectivam trutinam *seu iudicium* ...²³ revocet, scilicet:

1. Accurate definiatur quid sit *nationalismus* et quid item *patriotismus*, sub quo vocabulo ille venit naturalis sensus affectus, quem erga propriam patriam quisque nostrum experitur. Eorundem consecratarum in campo politico tum in illo religioso pariter adamussim statuuntur.



2. Absque ulla ambiguitate sequens principium proclametur: ius est naturale, igitur omnibus hominibus competens, propriam relinquendi patriam aliamque petendi, animo sibi suisque procurandi congruam sustentationem, animo quoque inibi exercendi alia licita opera, salvo semper, uti evidens, illo, naturali quoque, iure, quo Moderatores aliarum nationum, ratione boni communis, pollent huiusmodi immigrationem moderandi atque restringendi, *sed raro prohibendi. Haec est doctrina Divi Thomae et est doctrina etiam Encyclicae Pacem in terris, in n. 25, Mater et Magistra, etc.*²⁴

3. Aperte statuatur immigrantes, qui adoptionis patriae leges fideliter custodiant, qui eorundem honesto labore, communi bono conspirent illius novae patriae, non uti hospites, plus minusve *benigne patienterque*²⁵ tolerandos, sed tamquam cives, naturali iure praeditos manendi in natione ubi degunt, instar nativos cives, agnoscendos atque admittendos esse. Et dicimus signanter instar nativorum civium in ordine dumtaxat ad permanentiam agendam in illa nova patria, non autem in ordine ad sic dicta civilia iura, quae, uti evidens, solis nativis competunt quaeque pro non nativis generatim connaturalizationis adipiscuntur litteris seu documentis.

*Habemus etiam praeceptum Christi: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae », quod ex iure divino omnibus absque ulla exceptione competit.*²⁶

Demum, 5. Necessarium, denique, existimo universos cives — cuiusvis sint patriae, Occidentales vel Orientales, septentrionales vel meridionales, Europaeos, Asiaticos vel Afros — serio monere iisdem nequaquam licere externos cives qua plus minusve toleratos hospites habere, sed tamquam gentes naturali iure inibi gaudentes tum manendi cum etiam laborandi aestimare. Nullum, proh dolor!, exstat dubium quod contraria mentalitas fere apud omnes — *apud me: apud omnes!*²⁷ — etiam hodie, licet nullo solido argumento fulcita, grassatur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ Silere hic non possum quot quantaque beneficia, collaborationes atque ubique signa amoris ab omnibus, praesertim ab episcopis Insularum Philippinarum, accepi pro quibus coram hoc Sacrosancto Concilio illis maximas gratias manifesto. ⁴ cum. ⁵ deest. ⁶ deest. ⁷ deest. ⁸ utrumque clerum, nativum nempe. ⁹ nativi et exteri. ¹⁰ et morum. ¹¹ in modo sese gerendi. ¹² agentibus. ¹³ nationum. ¹⁴ Ab hac unitate, ac proinde morali aequalitate moventes, fas sit nobis hoc etiam principium sine ambagibus, sine politicis expressionibus, statuere; quibus aequa sunt in vinea Domini excolenda, onera, aequa pariter et sint non modo honores verum etiam munera, item et officia vicissim praestanda. Relationes hisce verbis tangimus quas adesse debere aestimamus exterum clerum



inter et nativum. Optimum quidem est, prout in schemate opportune fit, exteros missionarios admonere, Romanorum Pontificum Benedicti XV *Maximum illud*, Pii XII *Evangelii Praecones*, Ioannis XXIII *Pastor aeternus* etc. indelebili exemplo mirabilique magisterio secutis, de propriis peculiaribusque obligationibus adimplendis. Tales v. g. obligatio discendi linguam et mores illarum gentium, obligatio praedicandi Evangelium Christi, proprio politico, culturali, ambientali nationalismo penitus excluso, obligatio sese omnibus et in omnibus conformandi ut omnes Christo lucrifaciat, et ceteras obligationes, clericis communes praetermittamus. Unus itaque infrangibilis adsit spiritus, ille, nimirum, caritatis, quo habito omnia alia absque ulla difficultate exsequantur. Tali spiritu e contra non habito, seu deficiente, quae exteris collaboratoribus imponuntur — accommodatio, linguae cognitio, illarum gentium morum observantia, etc. — ad nihil prohi dolor inservient. ¹⁵ deest. ¹⁶ deest. ¹⁷ gentes inter et gentes. ¹⁸ esse. ¹⁹ deest. ²⁰ et propterea cum nostro schemate. ²¹ deest. ²² deest. ²³ deest. ²⁴ (cf. Encyclicas *Pacem in Terris*, nn. 25, 106, 107; *Mater et Magistra*, n. 45; Declaratio universalis iurium hominis nn. 13, 15; *Exsul familia: A.A.S.*, 44, 1952; Nuntium radiophonicum Natalis 1952: *A.A.S.*, 1953). Hominum fraternitas — quippe quod omnes simus filii Patris qui in caelis est et a quo omnis paternitas in caelis et in terris nominatur — etiam ipsa materialium bonorum providentiali distributione facta, decreta fuit atque, proinde, hoc liberae emigrationis et immigrationis iura exercenda atque applicanda. ²⁵ patienter. ²⁶ 4. Sollemniter quoque proclametur catholicos fidei praecones non tantummodo nuper citato naturali iure gaudere ubique terrarum manendi, verum in illo divino, servatis utique de iure servandis, illis Christi Domini verbis expresso: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae ». Mandatum Christi est: euntes praedicate. Omnes proinde ligans, utpote datum ab Eo qui Rex Regum est et Dominus dominantium. ²⁷ deest.

Animadversiones additae:

Prima. Debita amplitudo atque extensio huic schemati tribuatur. Admittimus ultro libenter quae in eiusdem prooemio asseruntur, Concilium hoc Oecumenicum, videlicet, iam alias hac de re egisse, in generaliore schemate *de Ecclesia*. Esto. Sed, missionalis argumenti praestantia exstante, qua illud haud paucis quidem aliis schematibus exaequare neque possumus, neque debemus, hoc modo cogimur argumentari: — aut quam procul dubio ipsum meretur amplitudo eidem detur, — aut, secus, ad paucas lineas, paucasve paginas in schemate *de Ecclesia* reducatur. Quae Missiones ecquidem respiciunt non generalioribus, sed specificis principiis, non doctrinalibus dumtaxat, sed practicis potius principiis investiganda sunt atque resolvenda. Vel ipsa nimia brevitatis, qua hoc schema redactum apparet, non modo mihi infrascripto, verum quoque pluribus aliis missionali operi constanter ac gloriose operam dantibus, videbitur hoc Oecumenicum Concilium missionale argumentum minus aequo existimasse, vel quod inglorium esset, et parvipendisse.

Igitur hoc schema — aut totum, sive completum, prout addecet, exhibeatur, — aut aliis similibus amandetur schematibus, ipso de pastoralis episcoporum munere in Ecclesia haud excluso.

Secunda. Quaedam expressiones huius schematis quandoque decurrentes cursu (taliam, exempli gratia, terrae missionum, missiones apud paganas gentes, item

et nationes), uti iam alias diximus dictaque a nobis et nunc confirmamus, tenemus delendas esse. Idque propterea quod non tantum cuiusdam inferioritatis sensum prae se ferant, verum quoque et illum peiorativum, illas nationes multoque magis earundem catholicas gentes vel de facto laedentes vel saltem laedere valentes. Numquam satis repetetur catholicam Ecclesiam *unam* esse, sanctam et Apostolicam per totum orbem diffusam.

De nominibus nunc agentes, hoc nostrum votum reverenter significamus, expressiones, scilicet, Missiones in Sinis, Missiones in Afram terram, Missiones in Japoniam, etc., hoc alio proprio substituendas esse: Ecclesia in Sinis, Ecclesia in Vietnam, Ecclesia in Japonia, etc. Imprimis namque supremum romanum Dicasterium evangelizationis curis praepositum non Congregatio Missionum appellatur, sed digniore, ni fallimur, Congregatio *De Propaganda Fide*. Altum hoc proinde imitemur exemplum quod Romani Pontificis veneranda Curia nobis inde iam a pluribus saeculis praebet. Sed et secundo nonne et id congruentius esset schemati *De praesentia Ecclesiae in mundo?* Mater nostra Ecclesia cum sit, quinimmo sive actu, sive etiam potentia, et omnium hominum, quos Christus proprio sanguine redemit, omnes homines omnesque gentes materno sinu amplectitur omnibusque praesens esse totis viribus laborat. Etiam, igitur, maiorique nisu, sedentibus in tenebris atque umbra mortis, quatenus Evangelii lumen indeficiens nondum pro dolor ad illas usque pervenit gentes.

Relinquamus, etsi haud uno numero maesti, veterem terminologiam *Missionum* (in Sinis, in Afras gentes, in Japonicam nationem, etc.) dicamusque: catholicam Ecclesiam ubique locorum atque terrarum praesentem, in Sinis, in Australes oras et sic porro de ceteris.

Pag. 7, lin. 24: « unice applicare intendit... ». Melius dicatur: « praesertim applicare intendit ». *Ratio*: certe multa dicuntur in schemate quae applicationem sustinent ad terras seu regiones praeter illas « in quibus ecclesia (melius Ecclesia) vel nondum implantata est, vel sibi non sufficit etc. ».

Pag. 8, lin. 6: « salvari posse si conscientiae dictaminibus oboediant... etc. ». Addatur verbum « animo sincero » post coniunctionem « si ». *Ratio*: ut bona fides seu ignorantia inculpabilis in illis gentibus vel hominibus praesumatur, et quod illa bona fides necnon oboedientia dictaminibus conscientiae semper et in omnibus actionibus praesens sit et maneat.

Pag. 8, lin. 33: « ... et in aedificiis *sacris* splendeat ». Verbum « sacris » omittatur, *Ratio*: aedificia sacra domus Dei sunt in quibus aedificandis seu construendis lex vel consilium relate ad simplicitatem valere non videtur, iuxta illud Psalmistae « Domine dilexi *decorem* domus tuae et locum habitationis gloriae tuae! ». Numquid privilegium erit aliorum exclusivum — in Europa, in America etc. — grandes et pulcherrimas ecclesias seu templa habere dum nos nostraeque gentes in terris missionum templa simplicia tantum aedificare debemus?

Pag. 9, lin. 4: ad verba « aegros curando, progressum sociale... » addatur: « et materialem ». *Ratio*: progressus socialis et progressus materialis non convertuntur seu omnino idem sunt. Et puto quod Evangelii praecones de duobus in suo opere evangelizationis curare debent et fovere tenentur. Saepe saepius, historia evangelizationis teste, illum progressum materialem fovendo animae citius lucrantur. Est illud D. Pauli: « Per visibilia ad invisibilia ».

Pag. 9, lin. 14: « Catechumeni etc. in Iure Communi recognoscantur ». Tota sententia expungatur, *Ratio*: in Iure Canonico actuali iam sermo est de catechu-



menis sub nn. 1148, 1152, 2218 etc. Quid nunc auctores schematis significare velint per verba « in Iure Communi recognoscantur » nescio. Certe catechumeni aequiparari non possunt neophytis et iam baptizatis, in iuribus neque in obligationibus. Praeterea, catechumeni, uti catechumeni, sunt in periodo instructionis et, bene notetur!, probationis — an sincero corde ad fidem venire intendant, an motiva eorum sint recta, etc. Res ergo nimis periculosa esset iura et privilegia baptizatorum illis in Iure Communi concedere.

Pag. 9, linn. 22-26: tota haec paragraphus sequenti modo iterum appareatur: « In terris ubi opus evangelizationis plene exerceri *nequeat*, *Ecclesia in salutem earum gentium ita operetur ut gradatim eis accessum ad Deum patefaciat docendo veritates religiosas et morales ordinis naturalis, easque parando ad assequendam salutem aeternam*. *Ratio*: paragraphus uti iacet in schemate defectibus laborat non paucis, etiam doctrinalibus — uti nobis saltem videtur — estque intellectu difficilis...

Pag. 10, lin. 8: « Episcopi totius mundi... etc. se pro totius mundi salute “ prius quam ” pro aliqua dioecesi consecratos esse ». Ita corrigatur: « et non solum » loco « prius quam ». Forsan etiam posset dici « potius quam », sed credo quod numquam recte dici potest quod episcopi « prius quam pro aliqua dioecesi consecrati sunt pro totius mundi salute ». « Prius » est, ex se, adverbium temporis. *Ratio*: pro priori emendatione seu usu verborum « et non solum »: pro illis enim qui principium collegialitatis episcoporum ex iure divino tenent — auctores huius schematis inter illos — necesse non est ut in casu nostro mentio fiat de dioecesibus in particulari, cum de consecratione episcopali sermo est, cum omnia iura et obligationes ex illa proveniant. Praeterea non omnes episcopi consecrationem suscipiunt ad aliquam dioecesim postea gubernandam — uti sunt auxiliares, titulares, etc. — et tamen et isti vi consecrationis de salute totius mundi animarum curare debent.

Ex hac ergo consideratione manifeste apparet quod in schemate nostro, et in hac paragrapho, multo melius esset dicere simpliciter: « Episcopi totius mundi sive singuli sive in conferentia (melius hic dicere “ in conferentiis episcopalibus ”) coadunati numquam in oblivione tradant se pro totius mundi salute consecratos esse (forsan melius “ consecratos fuisse ”) ».

Pag. 10, lin. 20: « Ita ut activitas apostolica etc. ». Addatur verbum « eorum » post verbum « activitas ». « Ita ut eorum activitas apostolica etc. ». *Ratio*: ita postulat sententiae claritas et complementum.

Pag. 10, n. 6: paragraphus haec de novo appareatur tota. *Ratio*: sententiae sequentes expungi debent ideo quia ad rem non veniunt: « quod essentialiter in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit »; « Quod valet de sacerdotibus utriusque cleri » nimis evidens est, ita ut de re loqui fere ridiculum quid sit; implicitam prae se fert accusationem sive contra clerum dioecesanum sive contra regularem; « Quantum Ipsi desit ad plenitudinem corporis, et quantum proinde praestandum sit (cui? quid?) ut in dies crescat (Caput? Corpus?) ». Sententia haec ultima emendari debet. Est scabra, obscura... etc.

Pag. 11, lin. 17: « quae nedum progressui humano contradicat », sic emendetur: « quae nedum *vero* progressui humano etc. ». *Ratio*: patet. Non omnibus progressus laudandus est etsi progressus nomine gaudeat et dicatur, etsi im merito.

Pag. 11, n. 10, titulus huius paragraphi « Formatio culturarum christiana-



rum ». Quid sibi hoc vult? Cultura christiana una est, sicuti aliae culturae. Forsan melius dicere « Formatio culturae christianae » vel « Formatio culturalis » simpliciter.

Pag. 12, n. 12: « Formatio catechistarum »: forsan omnino a schemate expungi deberet, vel saltem aliquid addendo iis quae hac in paragrapho dicuntur. *Ratio*: venerabilis meritisque plena catechistarum institutio, quae tot uberrimos fructus etiam nuperrime transactis temporibus Ecclesiae obtulit, iam eam obsoletam esse dici possumus. Saltem modo ac structura qua usque nunc usa fuit. Hodie non mere catechistis sed magistris, atque vere peritis, indigemus. Cultura populorum progressus magnos ubique fecit. Tempora mutata et nos cum illis methodos mutare debemus.

13

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus Nullius Acrensis et Puruensis

Venerabiles Patres,

Non tantum nomine meo loquar, sed nomine secretariatus pro *Praelatis*¹ Brasiliensibus, quae quidem 38 sunt.

1. Laudanda commissio pro labore; non equidem laudandus laboris fructus.

Nam, exspectationi generali et ipsius commissionis labori non respondet. Tractatio est generalis, speculativa, non semper obiectiva, per raro realibus necessitatibus accommodata. Et mirum est, cum intentum Concilii nostri sit spiritu missionario omnes christifideles imbueri, in tredecim propositionibus argumentum totum exhaurire! Quae propositiones, nota dicunt et necessario dicenda non dicunt: ergo inutiles etsi verae et bonae!

2. Ex generali vero caractere missionali Ecclesiae pluries declaratum et ad ordinem practicum non ductum, timendum est accidat quod semper accidere solet in similibus, quando scil. plures vel omnes curam habere debent de aliqua re: nemo agit! Et Ecclesia missionaria semper erit Ecclesia mendicans et indigens; erit exercitus bellans in prima acie et simul praeparans sibi arma et munimina: pessima strategia.

3. Clare apparet tandem tendentia fugendi problemata per recursum ad exhortationes paternales et ad verba generaliora (« parole generiche »): pulcherrimum exemplum habetis in pag. 14 relationis ubi aliquis Pater « movet quaestionem quid significat “ apud ” S. Congregationem de Propaganda Fide: estne supra, vel infra, vel extra, vel intra hoc Dicasterium? ». Et dicit relator: « Recte vidit ille Pater! ».

4. Sed, quod mirum et absurdum, post lectionem propositionum,



ignoratur de qua re sit sermo, et ipse finis activitatis missionariae ignoratur. Et ignoratur quia consulto commissio missionem et finem missionum noluit declarare, ut legitur in pag. 10-11!

Ratio adducta: discordia opinionum inter peritos; solutio: ut isti periti facilius ad unitatem deveniant, in missionem mittantur!

Sed aliqua definitio est necessaria; quaenam elementa? Breviter videamus!

a) *Dependentia a Sacra Congregatione de Propaganda Fide*, ut ipse em. mus card. Agagianian in sua relatione videtur affirmare?

Minime, quia sunt territoria fere identica quae a diverso Dicasterio pendent, ut accidit v. g. in amplissima regione amazonensi, quorum 44 a S. Congregatione de Propaganda Fide pendent et 38 non; et sunt territoria adhuc sub S. Congregatione de Propaganda Fide sed sine ulla necessitate, ut accidit v. g. cum Gibraltar, prout in Anuario Pontificio huius anni videre fas est.

b) *Actualis definitio*, implicite data in lin. 24, pag. 7² nostri schematis? Minime, quia ab initiali restrictione (dependentia a Propaganda Fide) fit transitus ad ampliationem talem ut et ipsa Roma, omnium Ecclesiarum mater, censi posset « missio ».

c) *Coetus humani extra Ecclesiam*? Minime pariter, quia ut supra, ad complures coetus applicari potest etiam in terra nostra catholica, ubi tamen aliqui coetus sunt forsan extra Ecclesiam.

d) Quaenam tandem elementa positiva? Consideremus: ideam communem fidelium omnium, Evangelium ubi legitur « euntes...³ », genesim ipsius missionis, schema nostrum de Ecclesia (cap. II, num. 17 ...⁴), et concludere possumus: missio importat: *territorium* ubi clerus autochthonus non existit vel est insufficientis; *commissum* alicui Instituto qui ex natione alienigena venit.

Haec sunt elementa necessario ponenda in definitione, quia essentialia, nam omnis missio, sive propria sive impropria, sive in sensu stricto sive in sensu lato, nequit subsistere et progredi si alicui Instituto non committitur. Et problemata solvenda sunt praesertim relationes inter: episcopum et institutum; institutum et clerum autochthonum; institutum et provisionem cleri missionis...⁵

Quod si aperte non proponuntur haec problemata, cetera ad nihil inserviunt! Et sub hac luce, parum loquitur, nostro in schemate, de religiosis qui ferunt pondus diei et aestus; dum e converso plura et pulchra dicuntur tum de clericis tum de laicis qui ad activitatem missionalem se devovent ad tempus, et aliquando, propter inadaequatam praeparationem, potius Dei « turistae » quam missionarii vocari possent.

5. Quod si exigentias nostri temporis consideramus — praesertim:



nationalismum, influxum crescentem activitatis politicae, gloriam sui et suorum (« orgoglio nazionale ») — ne « missiones » appareant veluti « coloniae » alicuius nationis, forsán ipsa gloriosissima vox « missio » esset immutanda; forsán vox « Ecclesia Novella » in usu apud Ecclesiam antiquam et studiose derelicta a commissione nostra sed frequens aliis in schematibus...⁶ esset reassumenda.

Forsán, attenta ipsa theologia quae asserit « ubi episcopus ibi Ecclesia » et — ut supra dixi — ne fides confundatur cum imperialismo vel cum massa ad alvescendos dentes (« dentifricio »), et ipsum nomen benemerentissimae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide immutari deberet in « Dicasterium pro Ecclesiis novellis » et dicam *pro omnibus et solis Ecclesiis Novellis*.

« Tota enim activitas missionalis eo tendit ut novae communitates christianae crescant in veras et proprias Ecclesias Novellas suo episcopo commissas. Quae Ecclesiae, etiam postquam Sacra Hierarchia instituta iam est, in eodem spiritu missionali ab universali Ecclesia adhuc adiuvandae sunt, usquedum propriis viribus et mediis fideles pascere et iis qui foris sunt viam salutis efficaciter annuntiare valeant » ...⁷

Evidenter, ad hanc restructurationem faciendam, tempus est necessarium et tempus concedimus; tamen, donec haec omnia fiant, cum complures Ecclesiae Novellae hodie a Sacra Congregatione Concistoriali pendeant, et iisdem et aliquando peioribus necessitatibus premantur, rogamus ut in ipsa Sacra Congregatione Concistoriali excitetur Commissio Centralis quae, in stricta relatione cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide agat de istis missionibus quae, licet in sensu lato, verae missiones sunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ praelatiis. ² pag. 5. ³ in mundum universum. ⁴ pag. 38. ⁵ etc. ⁶ (cf. *De religiosis, De Ecclesia, deque pastoralis episcoporum munere*). ⁷ (cf. Commentarius in schema propositionum de activitate missionali Ecclesiae, a compluribus Patribus Romae editum die 3 augusti 1964, p. 5; schema decreti *de Ecclesia* l. c.).

Animadversiones additae:

Titulus novus proponitur: De omnibus ad Ecclesiam plene adducendis. Ratio:
a) Constitutio *de Ecclesia*, quae centralis est in nostro Concilio, hoc in modo, melius suum locum videtur tenere, nam, ex una parte Ecclesiam habemus omnibus mediis ad salutem ditatam, et ex altera gentes... quae in umbra mortis sedent.

b) Qui sunt extra Ecclesiam, aliquo in modo esse possent in Ecclesia (recollere fas est quae inveniuntur in manualibus de ad animam Ecclesiae pertinentibus et quae audivimus in aula quando de libertate religiosa disserebatur).

Intentum Concilii: accommodatam proponere renovationem missionalis activitatis Ecclesiae, doctrinam et normas tradens ad hoc.



Divisio: duo capita: *a*) de activitatis missionalis Ecclesiae principiis (theoria); *b*) de activitatis missionalis Ecclesiae exercitio (practica). *Ratio*: *a*) haec postulat ordo rerum; *b*) est divisio victoriosa, ut ita dicam, schematis *de Oecumenismo*.

I - *De activitatis missionalis Ecclesiae principiis*:

a) *De Aeterni Patris universalis salutis consilio*: «salus a Deo per homines».

b) *De executione consilii Patris*: 1) apud populum electum: Patriarchae, Prophetae, B. Virgo Maria, Christus Iesus, christiani: episcopi (mandatum Domini), ceteri (Baptismum - Confirmatio);

2) apud gentes: omnis homo, ductus a quadam inclinatione et ab intelligentia (dona Dei), Deum quaesivit, ideo: *a*) quaevis religio habet aliquid boni; *b*) quaevis religio est aliquid bonum quatenus est conamen hominis ad Deum amandum.

Conclusio: *a*) Omnes christiani ad apostolatam vocantur; *b*) omnes gentes ad christianismum vocantur; *c*) elementa bona cuiuscumque religionis, in christianismo servantur et ad perfectionem ducuntur.

Definitio missionis: est Ecclesia quae ad maturitatem nondum pervenit et necessaria ad vitam independentem non habet ita ut necessario sit alicui Instituto committenda qui de ea curam gerat et eam ad maturitatem ducat.

Dicitur Ecclesia quia Ecclesia, ab Abel iusto usque ad ultimum electum (cf. schema constitutionis *de Ecclesia*) est congregatio fidelium (sine relatione ad numerum fidelium!): Episcopus et missionarii sufficiunt ad hoc! Missio enim est veluti persona humana quae licet parva, immo embrionalis, semper persona est.

Dici posset Nova (Ecclesia), ratione habita vel *a*) ad tempus, vel *b*) ad usum antiquum apud Ecclesiam, vel tandem *c*) ad Ecclesiam matrem.

II - *De activitatis missionalis Ecclesiae exercitio*. «Tota Ecclesia missionaria est (Paulus Pp. VI). Ideo de singulis christianis vel de singulis coetibus christianorum aliquid dicendum est.

Populus: *a*) scire debet populus de statu et progressu fidei; *b*) formari debet populus ad cooperationem: oratione; auxilio pretio aestimabile: argentum, bona materialia, labor ad bona colligenda; *c*) formari debet populus ad apostolatam sive sua in terra, sive in terra aliena (missionis) qui ad hoc fuerint vocati (agitur de vocatione, non de piissimo tantum desiderio!).

Spiritus missionalis videtur non praerogativa alicuius coetus, v. g. Actionis Catholicae, sed praerogativa hominis christiani qui lux, vita, sal et fermentum esse debet. Ubi deest, habetur quies quae non est christiani propria (non veni pacem mittere...).

Clericis ostendere debemus sequentia: *a*) opus missionale est praecipuum opus evangelicum; *b*) in opere missionali, etsi habeantur incommoda, habetur totius hominis et christiani plena realizatio; *c*) necessarium est ut sacerdos sit spiritu missionario imbutus, ut christianus et ut sacerdos, seu aliorum dux; *d*) seligant (et ad hoc praeparentur) clerici portionem quamdam Ecclesiae degentis ubi possent, in futurum, ministerium suum sacerdotale, etsi ad tempus exercere; et cum missionariis illius loci frequentes habeant relationes; *e*) aliqua activitatis missionalis collectiva excitari debet in quocumque seminario, sub episcopi necnon rectoris disciplina.



Sacerdotes debent: *a)* « informarsi » seu scire de statu et progressu fidei; *b)* « informare » seu populum certiore facere de statu et progressu fidei; *c)* « stimolare » seu esse anima activitatis missionalis in paroecia; *d)* se offerre, ad quinquennium, pro labore ubi Ecclesia eum vocaret (in missione vel simpliciter alia in dioecesi).

Religiosi-missionarii: *a)* gratias plurimas pro ingenti labore tribuendas ipsis esse censeo! *b)* missionem numquam habeant veluti « coloniam » sibi propriam; *c)* si insufficientes, alios sacerdotes, etsi diversi Instituti, acceptent in sua missione; *d)* formationem cleri autochthoni faveant, dioecesani praesertim! *e)* missionem non derelinquant, etsi episcopus autochthonus missionem regat, usque dum Ecclesia Nova ad aetatem maturam non pervenerit.

Episcopi non missionarii: *a)* sunt corresponsabiles (cf. schema *de pastoralibus episcoporum munere*) Ecclesiae, et quidem totius Ecclesiae, ideo: *b)* studeant et cognoscant problemata missionalia; *c)* solutiones problematum proponant; *d)* faveant vocations missionarias; *e)* faveant auxilia missionibus; *f)* seminarii sui portas missionariis pandant.

Auctoritas ecclesiastica in missione: *a)* sit caractere episcopali insignita (ubi episcopus ibi Ecclesia; ubi nullus episcopus, nulla Ecclesia); *b)* sit residentialis et non titularis (cuius regio... illius episcopus!) ut Ecclesiae novae vere fundamentum; *c)* sit prima et non novissima (ceteri post ipsam et non vicissim); *d)* sit « anima » missionis et cogitet de conversis, de convertendis, de clero missionario; *e)* praeparet dissolutionem gradativam formae apostolatus minus sacerdotalis; *f)* cogitet non modo de auxilio accipiendo sed omnia bona promoveat ut ad aetatem adultam Ecclesia nova sibi commissa perveniat, scil. ut necessaria sibi producat, i. e. clerum, bona materialia; ut ceteras Ecclesias possit adiuvere.

Missiones: in quantum possibile inter se uniantur, in limite nationis, per modum cuiusdam « conferentiae episcopalis »: ad problemata solvenda, ad bona fovenda, ad informationes colligendas, ad informationes tradendas, Sanctae Sedi, missionariis, diariis etc.; ad relationes cum Sede Apostolica et nationalibus necnon internationalibus organis fovendas.

Sancta Sedes: *a)* nomen benemerentissimae S.C.P.F. immutari debet; *b)* omnis missio sub unico dicasterio ponere; *c)* in hoc dicasterio, pro unaquaque regione, peritos ponere qui regionem vere cognoscant; *d)* ad tempus, donec haec omnia fiant, sectio specialis pro missionibus excitari debet in quovis dicasterio sub cuius ductu habentur missiones; *e)* S.C.P.F., in stricta relatione cum Congregatione Concistoriali, colligat sacerdotes ubi adsunt copiosi, media ubi adsunt copiosa; ut possit, postea suppeditare egentibus Ecclesiis sacerdotes, media; *f)* S.C.P.F. excitet « officium informationis », ita ut omnes, clerus et populus, scire possint de statu et progressu fidei (organum, variis in linguis editum, Ecclesiae et non particularis Ecclesiae esse debet); *g)* S.C.P.F. Instituta erigat ad laicos missionarios, vere vocatos, formandos ad validitatem auxilii, ad continuitatem operis.

* * *

1. *Præparatio seu formatio laicorum:* *a)* simplicem humanitarismum cavere (evitare il puro umanitarismo); *b)* humanitarismum in vera vita christiana absorbere; *c)* vocatio missionaria sit potius ab intrinseco (ex plenitudine scilicet vitae christianae) quam ab extrinseco (ex circumstantiis) repetenda.



2. Praeparatio aliqua specifica pariter est praemittenda, habito respectu *a)* ad artem seu professionem laici missionarii; *b)* ad reales necessitates et possibilitates loci missionis. Forsan ad hoc sufficeret aliquod epistulare commercium inter auctoritatem assumpturam et laicum assumendum.

3. *Quaestiones practicae:* *a)* excitandi sunt cursus praepparatorii (a S.C.P.F.?) immo, *b)* instituta praepparatoria laicis reservata excitanda essent (semper a S.C.P.F.?), sub ductu alicuius sacerdotis qui vitam et problemata missionalia revere cognoscat; *c)* capsula seu fundatio aliqua ad expensas missionarii laici sustentandas pro: 1) formatione, 2) dotatione in exitu, 3) adsistentia in labore, 4) reintegracione in primaeva societate, si necessaria; *d)* organizatio (et adsistentia) ut laicus missionarius absorbendus in primaeva societate, vivere decenter possit (recognoscere, v. g., ad finem cursus [per fini di carriera] annos in missione elapsos!).

Nota: Haec omnia sunt necessario perpendenda quia in multis missionibus urget necessitas laicorum, sed nec missionarii clerici habent unde vivant!...

14

EXC.MUS P. D. IOANNES B. GAHAMANYI

*Episcopus Butarensis**Venerabiles Patres,*

Interventus noster spectat par. 2 schematis propositionum *de activitate missionali Ecclesiae*.

In hac paragrapho loquitur de unanimi collaboratione inter Ordinarium loci et Instituta missionaria: *ut Ordinarius loci sit centrum unitatis in dioecesi sua*.¹

Eo fine ut melius in luce ponamus scopum huius interventus, praetermittimus pauca verba de situatione actuali in regionibus missionariis.

Sub regimine dicto « Ius commissionis », aliquae partes mundi adhuc evangelizandi commissae sunt institutis missionariis, quae ita commissionem acceperunt annuntiandi Evangelium et implantandi Ecclesiam in determinatis regionibus.

Hoc modo missa in regionibus eis commissis, instituta missionaria dirigebant omne opus pastorale in his regionibus.

Effectus magni obtenti sunt opere laboris et sacrificiorum institutorum, inter quos maximus est creatio Ecclesiarum novellarum cum propria hierarchia. Attamen hi effectus definitivi non sunt.

Novellae Ecclesiae, quamquam hierarchia propria dotatae, adhuc maxime egent operariis apostolicis provenientes ex institutis missionariis, necnon subsidiis materialibus aliunde provenientes. Ita fit ut saepe saepius maxima pars sacerdotum in dioecesi episcopi dioecesani



qui ipse non pertinet ad institutum sint sacerdotes instituti missionarii.

Ex hac situatione multa problemata profluunt in novellis Ecclesiis quorum altera canonica, altera pastoralia sunt.

Hic de problemate pastoralis agere volumus. In dioecesibus nostris novellis collaborant Ordinarius loci et superior instituti missionarii.

Haec collaboratio interdum difficultatibus non caret, immo supponit mutuum respectum et spiritum vere ecclesiam.

Quoad Ordinarium loci: plene agnoscere debet spiritum proprium instituti, quod habet suam spiritualitatem, suas regulas vitae internae, quae vita interna saepe est conditionata circumstantiis in quibus actio pastoralis exercetur.

Quoad Instituta missionaria: plene agnoscere et accipere debent autonomiam Ordinarii loci in gubernatione dioecesis suae. Quamquam spiritualitatem suam propriam instituta habeant, maxime in hac includere debent eam quae spiritualitas dioecesis vocatur. Haec spiritualitas dioecesis centrum suum habet in doctrina de episcopo ut successore apostolorum, ut centrum vitae unitatisque communitatis christianae suae. Iam per omnes annos formationis eorum, membra institutorum, praeter spiritum proprium instituti, suum facere debent hunc spiritum ut ita dicam dioecesis, et hoc propter naturam ipsam eorum vocationis quae est implantatio Ecclesiae dioecesis.

Interdum non multa alumni institutorum missionariorum de hac spiritualitate dioecesis audiunt in novitiatu aut in scholasticatu.

Tantummodo si ipsi hoc spiritu animati sunt, missionarii eum communicare poterunt suis fidelibus et faciliori modo cum clero dioecesis collaborare poterunt...²

Hoc ipso spiritu ducti, superiores institutorum continuo modo in spiritu habebunt desiderium corroborandi Ecclesiam localem ab ipsis fundatam, et quae est corona et gloria eorum. Error nimis esset et infidelitas si aliqua instituta magis curarent de sui ipsius incremento quam de incremento cleri dioecesis localis, quamquam — ut patet — vocationis propria uniuscuiusque personae consideranda sit.

Immo, et quoad missionarios ipsos attinet, qui voluntate superiorum suorum in servitio episcopi dioecesis positi sunt, maior collaboratio inter superiores et episcopos saepe optanda est. Nimis facile superiores sacerdotes suos revocant propter proprias necessitates non satis perpensis necessitatibus dioecesis in qua hi sacerdotes laborant.

Nullus episcopus laborem suum pastorem efficaciter et tranquillo animo organizare potest nisi certitudine morali praevidere possit servitia stabilia sacerdotum cum eo collaborantium.

Nemini effugit quod propter varias rationes, nominationes et muta-



tionem sacerdotum fieri possunt et debent, sed semper fiant prae oculis habitis necessitatibus tam dioeceseos localis quam instituti missionarii, et numquam inconsulto Ordinario loci.

Venerabiles Patres, his rationibus motus optare audeam ut in schemate nostro mentionem fiat horum elementorum pastoralium quae nobis maximi momenti sunt. Propter easdem rationes, rogo ut quae scribuntur in schemate pag. 8, linn. 21-22, nempe quod « Instituta missionaria necessaria initiatiua retineant propriae actionis », explicentur et modo magis praeciso exprimantur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² Immo, ut saepe membra institutorum in seminariis dioecesanis docent, quomodo poterunt formationem adaequatam seminaristis suis dioecesanis praebere, ipsi ea carentes?

15

EXC.MUS P. D. VITUS M. RIOBÉ

*Episcopus Aurelianensis**Venerabiles Patres,*

Multi episcopi, qui inter nos religiosi non sunt, et etiam religiosi, dolent quia aliquis nuper in aula dixit sacerdotes et laici qui eunt ad tempus in missiones essent mere « turisti », ut dicitur.¹

Nomine loquor septuaginta episcoporum missionariorum et superiorum generalium Institutorum missionalium.

Membrum sum commissionis *de Missionibus*. Subscribo propositionibus quae fructus sunt magni studii omnium qui in commissione laboraverunt. Attamen mihi videntur non sufficere ad procurandam solutionem totalem problematibus hodiernis missionum. Ad hoc non sufficit ut Consilium Centrale Evangelizationis instituetur: Concilium Oecumenicum nostrum per seipsum debet quam profundissime investigare necessitates evangelizationis mundi et condiciones implantationis Ecclesiae, et exinde eruere doctrinam cohaerentem et principia quorum ope illud Consilium Centrale Evangelizationis suum opus aggredi poterit. Doctrinam dico et principia: quia toto decursu sui laboris durantibus his tribus annis, commissio de missionibus anceps remansit inter conceptum missionis theologice enucleatum et conceptum mere iuridicum prout nunc in Iure condito iacet. Insuper quamvis in prooemio alludatur ad condiciones novas in quibus evangelizatio mundi protrahenda est, quamvis etiam ibidem agnoscitur felix ortus Ecclesiarum novella-



rum, tamen in propositionibus ipsis non enuntiantur satis principia quae satisfacere valeant tum necessitatibus hodiernis evangelizationis mundi, tum ipsis novellis Ecclesiis.

Ex alia parte: Impossibile est aliquid de activitate missionali decernere, ad rem vere pertinens, nisi tota ratio missionum reinvestigetur, tum luce adiunctorum hodiernorum, cum luce doctrinae quam in constitutione *de Ecclesia* apprime enucleavimus.

I. *Ratio missionum recognoscenda est luce adiunctorum hodiernorum.* Adiuncta hodierna spectant ad contextum sociologicum in quo evangelizatio evolvitur, et ad fructus iam adeptos in plantatione Ecclesiae.

1. Ad contextum, quod attinet, in quo evangelizatio evolvitur, mihi sufficiat mentionem facere de istis rebus omnino novis (« une véritable révolution sociale ») in quibus missiones versantur, in ordine politico, sociali, ideologico, psychologico et culturali. Hae mutationes sociales renovationem exigant in methodis missionariis, ita ut denuo accommodentur mentalitati ambienti; exigant ut, in operibus Ecclesiae socialibus et educativis, recognoscatur applicatio principii subsidiariorum, ita ut haec activitas Ecclesiae rite componatur cum socializatione quae celerime instauratur apud nationes progredientes. Tandem summopere exigant ut missio Ecclesiae appareat prouti est, scil. mere spiritualis.

2. Si vero fructus iam adeptos perspeximus, duo notatu digna apparent: ex una parte, in aliquibus locis de facto iam exstant Ecclesiae locales; ex altera parte, necessitas evangelizationis integra remanet ubique, ita ut distinctio inter terras missionum et terras sic dictas christianas evanescit. Missio Ecclesiae magis magisque circumscribitur in coetus humanos non-christianos penetrandos. In propositionibus de activitate missionali Ecclesiae, nec situatio actualis atque problemata specialia novellarum Ecclesiarum satis inspiciuntur, nec conclusiones satis eruuntur ex problematica hodierna evangelizationis universalis quae fere tota sistitur in penetratione coetuum non christianorum. Vitantur ergo quaestiones actuales quia, ut legimus in relatione, commissio « statuit de distinctione inter missiones et novellas Ecclesias nihil dicere ».

...² Non sufficit schema rationem habere adiunctorum hodiernorum; necesse est insuper ut tota ratio missionum illustretur luce doctrinae enucleatae in nostro Concilio Vaticano.

Ad modum exempli, quattuor puncta in memoriam revocabo, scil. naturam missionariam totius Ecclesiae, catholicitatem eius, collegialitatem episcopalem et communionem Ecclesiarum. Haec forsitan remanent in categoriis pure idealisticis, si activitas missionalis ea in actum



non traduceret. De cetero asseri potest totam activitatem missionalem Ecclesiae defluere ex his principiis fundamentalibus. Ergo reassumi deberent modo dinamico in nostro schemate. Sed, ad hoc, requiritur decretum completum.

Aliud exemplum offeram: in propositione 3, agitur de evangelizatione proprie dicta et de initiatione christiana catechumenorum. Sed haec propositio apparet ut merus modus procedendi quin explicite enucleentur principia theologica in quo innititur.

Concludo. Concilium Vaticanum II optimas suas partes consecravit Mysterio Ecclesiae. In hoc mysterio, duo obiecta specialia inspicienda sunt, utpote essentialia, nempe Unitas et Missio, in quibus elucent et catholicitas et apostolicitas. De Unitate, rem habuimus in speciali decreto conciliari, scil. in decreto *de Oecumenismo*. Aequalitas, rei veritas et urgentia problematis postulant ut de activitate missionali Ecclesiae tale decretum promulgemus, et non tantum simplices propositiones; quod desiderant omnes qui in commissione laboraverunt.

In schema *de Missionibus* mense ianuarii editum, multi Patres emendationes et animadversiones transmiserunt, ex quibus quaedam sunt maximi momenti. Sed haec omnia iam reposita sunt in pace archivarii et dormiunt somnum suum. Oportet ut resurgant sub forma decreti, allatis etiam iis quae in hac aula dicta fuerunt.

Quid ergo, Patres venerabiles? Si propositionibus ex toto corde subscribo, attamen magno cum ardore rogo ut schema a commissione mense ianuarii apparatus et ex in aula dictis renovatum propositionibus ut adnexum addatur, ita ut illas explicet et clarificet.

Memores simus necessitatum et desideriorum nostrorum venerabilium Fratrum, hic praesentium, inter maximas difficultates prima acie militantium ut Regnum Christi dilatetur ubique terrarum. Magna expectant ex parte huius Concilii qui, utpote Concilium « de Ecclesia », revera « grande Concilium missionarium » esse debet. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² II. Ratio missionum recognoscenda est luce doctrinae iam pridem illustratae a Concilio Vaticano II.



Exc.MUS P. D. IACOBUS MOYNAGH

Episcopus Calabarensis

Venerabiles Patres conciliares,

Loquor in nomine plurimorum episcoporum Africae et aliarum regionum.

Quam maximi res est momenti, ut haec Sacrosancta Synodus, toti mundo catholico elata voce edicat activitatis missionalis Ecclesiae necessitatem, magnitudinem ac splendorem. Haec enim activitas est finis primarius Ecclesiae, mandante Domino « Euntes... docete... » ...¹, exclamante apostolo « Vac... mihi est si non evangelizavero! » ...². Uti Pius XI ait in *Rerum Ecclesiae* ...³: « Neque enim ad aliud nata Ecclesia est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiat ».

Hoc schema non est adaequatum. Neque proclamat verbis sat gravibus atque urgentibus necessitudines illorum millionum animarum, qui de Christo nondum audiverunt; neque verbis sat fortibus atque fidentibus provocat ad fidem et generositatem catholicorum, qui necessitudinum probe conscii facti, Christi caritate sese instantius urgeri sentirent. Ideoque schema ex integro elaborandum est.⁴

Statim ad particularia veniam:

1. Si distinctio inter activitatem missionalem proprie dictam et activitatem pastoralem ordinariam Ecclesiae aboleatur, magnum exinde detrimentum causae missionum eveniet.

Verum est quod cura pastoralis ovium praesertim dispersarum in terris traditionaliter catholicis insignis labor est, et indispensabilis. Sed in hisce terris opus est potius activitate pastoralis intensiore, dignitatis et sanctitatis sacerdotii renovata aestimatione, apostolatus laicorum amplificatione. Ecclesia semper distinctionem fecit inter *primam* annuntiationem Evangelii iis qui *nunquam* de Christo audiverunt, et subsequentem curam pastoralem baptizatorum.

Verumtamen Summi Pontifices qui tam egregie in hoc saeculo Ecclesiam rexerunt nunquam confunderunt apostolatum pastoralem erga lapsos cum Evangelii praedicatione ad non-christianos. Idem Pius XI in Litteris citatis ait: « Quisquis autem est, qui Iesu Pastorum Principis vices in terris divinitus gerat, ...⁵ praecipuo muneri suo desit, nisi alienos externosque Christo lucrari atque adiungere omni contentione nitatur ».



Si ergo haec distinctio nunc repudietur, ratio specifica activitatis missionalis in umbram vertetur. Quare enim in terras longinquas pro Christo peregrinandum, si eiusdem esset *pretii*⁶ in patria ministerium exercere? Quare catholici tot pro missionibus sacrificia sustinerent, si parvis esset *pretii* apostolatus erga lapsos in patria inservire?

Inevitabilis huius confusionis effectus esset ut sensus urgentiae diminueretur. Et re quidem vera hic urgentiae sensus, in schemate nostro notabiliter deficit. E. g., in pag. 8, lin. 10 ...⁷, dicitur: « Evangelizationem summum momentum *etiam* hodie integre servare ». Nonne potius dicendum est: « ... *semper* integre servare, et *praesertim* hodie »? Verba quidem istius primae propositionis longe distant ab urgentibus verbis Summi Pontificis Pii XII in *Fidei Donum*, qui, sollicitus de brevitate temporis utilis pro Africa evangelizanda, exclamat: « Iam *nunc* igitur sacris pastoribus opitulari necesse est, ut *quam primum* eorum apostolicus labor succrescentibus temporum necessitatibus opportune respondeat ». Missionarii qui in nationibus independentiam nuper adeptis laborant probe sciunt quam breve sibi tempus maneat, multis saltem in casibus, ad Ecclesiam implantandam.

Neve nos consolemur (ex schematis propositione prima) spe fallaci quod hierarchia multis in locis iam constituta, *praesentiae Ecclesiae* est eo ipso satis provisum. Minime quidem. Cognosco dioecesim quingentorum millium catholicorum ubi quinquaginta millia in Ecclesiam unoquoque anno ingrediuntur. Pro horum cura viginti quinque novi sacerdotes singulis annis requirerentur quamvis tantummodo quattuor vel quinque praesto sint. Cognosco autem Provinciam ubi habentur duo milliones infidelium et duo sacerdotes tantum. « Messis quidem multa, operarii autem pauci! » ...⁸ Urgentibus ergo verbis loquatur schema.

De cetero, textus constitutionis *de Ecclesia* a vobis, Patres, approbatus, dicit, cap. II, n. 17: « (Ecclesia) in mittendis praeconibus *indesinenter* pergit, usquedum novellae Ecclesiae *plene* constituentur atque opus evangelizandi et ipsae continentur ».

2. De clero dioecesano in missionibus formando et constabiliendo, in schemate *ne verbum quidem*: gravis vero omissio.

3. De zelo missionario fovendo in Ecclesiis antiquis nimis pauca, in novellis nihil ...⁹ habet schema.

4. Iuvenibus nostris dentur *idealiter* generositate eorum digna: *peregrinandi pro Christo*.

Praeterire autem non possum ultimum defectum gravissimum. Schema loquitur de debito episcoporum, sacerdotum, Institutorum perfectionis, et laicorum. Nihil omnino habet de debito ipsarum missionum erga Ecclesiam matricem. Quid de constanti et paterna sollicitudine Sacrae



Congregationis de Propaganda Fide pro omnibus Ecclesiis? Numquid aliquis ex nobis missionariis petens panem unquam recepit lapidem? Quid de nostro debito erga hierarchiam patriae et de sacrificiis absconditis fidelium ubique terrarum? Unus ego, maxima gratitudine testor, me plusquam centumviginti sacerdotes dioecesanos voluntarios hucusque ex patria accepisse. Eadem parva insula, si liceat citare, quinque societates missionales intra quadraginta annos ex sacrificiis fidelium paruit. Ex una dioecesi Scotiae, quae et ipsa insufficientia sacerdotum laborat, episcopus his ultimis annis iam septem sacerdotes dioecesanos, in spiritu « Fidei Donum », missionibus praebuit. Institutum « Misereor » ex generositate fidelium Germaniae ortum, scholas, valetudinaria, etc., per orbem missionum construit. Caritas populi Americae Septemtrionalis etiam nomades desertorum iam attingit. Et quid de heroicis sororibus? Et de glorioso agmine missionariorum laicorum? Et de parentibus quid dicamus, qui, filiorum oblatione, de proprio sanguine, donum omnium pretiosissimum praebent? His ergo omnibus dicamus saltem « Gratias »!

Vita missionalis revera nunquam intentius, nunquam gloriosius effulsit in historia Ecclesiae...¹⁰

Moderator: Exc.me Domine, doleo tempus tuum exhaustum esse.

Orator: Nonne documentum conciliare de hac vita testificare pro futuris saeculis deberet? ...¹¹ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (Mt. 28, 18-20). ² (1 Cor. 9, 16). ³ (18 februarii 1926). ⁴ esse proponimus. ⁵ is tantum abest ut dumtaxat in tuendo ac servando quem regendum accepit grege dominico possit acquiescere, ut, contra. ⁶ meriti. ⁷ (textus emendati). ⁸ (Mt. 9, 17). ⁹ omnino. ¹⁰ ut pulchre illustrat relatio em.mi card. Agagianian; sed hoc minime erueretur ex nostro schemate. ¹¹ Nonne ultimam radicem spiritualem totius huius vitae clare enucleare schema deberet, nempe unionem populi Dei cum Deo? Nam: « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus » (1 Cor. 3, 7).

Animadversiones additae:

1. De clero dioecesano in missionibus formando. Schema adhuc graviter deficit in hoc quod totaliter silet de clero dioecesano in novellis Ecclesiis instituendo et constabiliendo, quod essentialis activitas missionariorum esse debet. Interim Pius XII ad Consilia Superiora Pontificiorum Operum Missionum (in Allocutione 1 maii 1954): « Maximi momenti est in singulis gentibus constituere ecclesiam eique proprium ex indigenis sacrorum administratorum agmen tribuere ». Nemo enim negabit quod nisi clerus dioecesanus rite formatur, debite aestimatur atque merito honoratur, magnum animabus detrimentum necessario eveniet. « Quod



si sal evanuerit, in quo salietur? » (*Mt.* 5, 13). Rite ergo tractetur hoc fundamentale thema in schemate novo.

2. De zelo missionario fovendo tum in ecclesiis antiquis tum in novellis. Schema nimis pauca habet de primo omnium ad evangelizationem requisito, nempe de supplendis atque melius semper formandis sacerdotibus ex antiquis ecclesiis apostolico zelo imbutis. Recte quidem propositio 5 lin. 10. Sed vividius et fervidius proponatur generositati episcoporum. Ex ecclesiis antiquis de laicis peritis inspirandis et mittendis in terras missionum similiter rite tractatur in schemate. Episcopis antiquarum ecclesiarum proponatur ideale de seminaristis e terris missionum in seminariis suis acceptandis.

In novellis ecclesiis inculcatio zeli missionalis in indigenis seminaristis et sacerdotibus tractetur in schemate ne cura pastoralis ita tempus sacerdotum occupet ut vix curetur de evangelizatione non-christianorum.

3. De iuvenibus ad activitatem missionalem alendis. In schemate dentur iuvenibus nostris idealia generositate eorum digna. Si pro idealibus mere humanis vel ad melius philanthropicis, tanti iuvenes hodierni ad magna moventur (e. g. in Peace Corps et huiusmodi institutis) quanto magis pro idealibus supremis: *peregrinandi pro Christo*. Tot instituta pro iuvenibus (Legio Mariae, The Grail, Christian Family Movement) possunt ad activitatem missionalem vi schematis excitari.

4. De episcopo rectore et Centro Unitatis apostolatus in dioecesi. Praecisius loquatur schema extollendo meritum cooperationis caritativae in Corpore mystico Christi. Iam vero instituta missionaria in tota historia Ecclesiae et missionum gloriosa gesserunt. Corona autem et consummatio laboris eorum in missionibus erit institutio et formatio cleri dioecesanii ab omnibus maximi aestimati. Certe non est semper facile relationes inter instituta missionaria et clerum dioecesanum debita libra temperare. Ambo tamen et Ecclesiae et sibi invicem necessarii sunt.

5. De praesentia vitae contemplativae in terris missionum. Cum ad plenitudinem vitae Ecclesiae in qualibet natione requiritur praesentia vitae contemplativae, valde desideratur ut ordines monastici contemplativi et virorum et mulierum in terris christianitatis antiquae obligatos se esse sentiant ad vitam monasticam et contemplativam in terris missionum pro suo posse implantandam et ad illarum regionum ephebos ad vitam monasticam initiandos.

6. De merito spontaneitatis ex parte fidelium in eorum cooperatione missionaria. Propositum de singulis dioecesibus taxandis (taxa fixa) non placet quia laedet principium libertatis et spontaneitatis ex parte taxatorum. Praeterea nimis legalistice sonat. Melius responderent fideles ad appellationem ad eorum generositatem ex parte episcopi.

7. De beneficiis spiritualibus pro iis qui in activitate collaborant (indulgentiis etc.). Praesertim de parte intima habita in maximo omnium labore, nempe evangelizatione animarum et incremento vitae gratiae in Corpore mystico.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, in proxima congregatione generali, i. e. feria secunda proximae hebdomadae, absolvetur disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*. Post absolutam disceptationem, fiet suffragatio praeliminaris, quemadmodum factum est pro aliis schematibus ad propositiones redactis. Et prosequetur dein disceptatio super schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Gratias.



EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG

Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres,

Mos non est ut relator loquatur de suo schemate, nisi pro conclusione disceptationis. Exceptionem facio quia rogatus sum a pluribus Patribus Asiae et speciatim a pluribus Patribus Africae, ut loquar de conversione et de fide.

In schemate nostro breviter sed clare locutum est de conversione.¹ Sed plures Patres amplio-rem explanationem desiderant. Ideoque nomine eorum quaedam dicere audeo.

Rogatus sum forsitan quia loquor semper de cultura, idcirco Patres me rogaverunt de hoc argumento aliquid dicere.²

Circa totalem conversionem non-christianorum, i. e. transformationem radicalem quam conversio ad Christum operari debet, fit hodie communis difficultas, quae missionarios non parum angit. Timetur nempe novos christianos isolari a proprio ambiente et cultura in qua vivunt et cuius filii sunt. Praeoccupatio ista est legitima et prae oculis habenda est, sed non debet nos trahere in errorem. Conversio enim natura sua includit rupturam *quamdam*³ cum vita transacta, *quatenus*⁴ mutationem in modo cogitandi et agendi *secum fert*.⁵ S. Paulus vocat conversum neo-christianum hominem novum qui exuere debet habitum veteris hominis. Ut ad fidem accedat, non-christianus non tenetur quidem abrenuntiare ad propriam culturam ut talem, sed ad ea omnia in hac cultura quae erronea et inauthentica sunt et inconciliabilia cum nova vita in Christo.

Idcirco adaptatio missionaria non potest significare conversionem incompletam vel conversionem secundum modum. Conversio est totalis adhaesio interna ad Christum quae in vita externa manifestari etiam oportet.

In conversione tria elementa habentur: fides supernaturalis, gratia sacramentalis baptismi et modus vitae consentaneus veritatibus fidei. Haec tria post baptismum perfici et progredi debent. Fides progreditur per instructiones catecheticas; gratia uti fundamentum vitae supernaturalis perficitur per receptionem sacramentorum et modus vitae consentaneus veritatibus fidei constituitur per culturam spiritu christiano animatam.

Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* ita nos monuit: « Quousque oportet Ecclesia se ad



rerum temporumque rationes conformet, in quibus sua munera gerat? Quomodo sibi ipsae praedicaverit, ne pericula relativismi, quem vocant, fidelitatem suam erga dogmata suasque morales praeceptiones labefaciant? ... Quoniam hominum coetui nulla salus afferri extrinsecus potest, opus est utique, ut primum, non secus atque Verbum Dei, quod seipsum fecit hominem, eorum vitae formas induamus, quibus Christi nuntium delaturi sumus; ... Profecto fratrum adeundorum sollicitudo eo nos nullo pacto moveat oportet, ut veritatem vel extenuemus, vel de ea aliquid imminuamus; ... ». *Haec sunt verba Summi Pontificis.*⁶

Optandum est igitur ut de hac quaestione in schemate aliquid plus dicatur.

Cultura enim est forma vitae socialis: neo-christiani socialiter vivere cum suis concivibus, at consentaneae cum fide et legibus moralibus, debent. Ideoque forma vitae socialis christianorum in missionibus correspondere oportet exigentiis tum culturae localis tum veritatis evangelicae.

*Postea, forsitan in schemate potest etiam vel debet etiam indicari aliquo modo*⁷ differentia inter conversionem ad Christum et subiectionem coloniam. Summus Pontifex in sua homilia intra missam canonizationis Martyrum Ugandae bene dixit *ita*⁸: « Uterque modus civilem cultum inducendi in regione, quae ab antiquo in quodam humanitatis gradu erant collocatae, non una de causa laudabili sed in gradu inchoatae et immobilis humanitatis, efficit ac promovet incrementa et rationes constituit quibus societas mutatur; sed Evangelii praedicatione principium introducit, i. e. religio christiana, eo pertinens, ut vires propriae, virtutes insitae, latentes ingenii facultates autochthonum erumpant, scil. eo nititur, ut gentes illae liberae reddantur, suis legibus vivant, maturescant, atque idoneae fiant ad exprimendas formas civilis cultus et artis proprias ingenii sui, ideoque modo ampliore ac meliore; coloniarum autem deductioni, si tantum ad emolumentum ac temporales fructus omnia referuntur, alii fines sunt propositi, qui honori et utilitati gentis ea ex regione oriundae non semper inserviunt ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ De conversione schema nostrum breviter sed clare locutum est. ² deest. ³ deest. ⁴ deest. ⁵ deest. ⁶ deest.
⁷ Dicatur etiam de. ⁸ deest.

Moderator: Proxima congregatio erit feria secunda, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.